MASTER NEGATIVE

NO. 93-81451-5

*AUTHOR:*

PALLAT, LUDWIG

*TITLE:*

DE FABULA ARIADNAEA

*PLACE:*

BERLIN

*DATE:*

1891

Master Negative #

93-81451-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

885
Z8 v.3 Pallat, Ludwig 1867- Dissertation
De fabula Ariadnaea
Berlin 1891

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

# DE FABULA ARIADNAEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA

BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE V M. NOVEMBRIS MDCCCLXXXXI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**LUDOVICUS PALLAT** 1867-

MATTIACUS.

ADVERSARII ERUNT:

E. KORNEMANN, DRD. PHIL.

K. KALBFLEISCH, CAND. PHIL.

H. SCHRADER, CAND. PHIL.

**BEROLINI, 1891.**

HEINRICH & KEMKE.

HERMANNO DIELS

SACRUM.

Narrationes, quae de Theseo ferebantur apud veteres, plerasque non antiquissimis iam temporibus e simplici gentis vel hominis cuiusdam ingenio et ad fingendas fabulas proclivi sponte natas, sed ab Atheniensibus eo consilio, ut quem patronum rei publicae venerabantur heroem quam splendidissima facinorum gloria ac virtutis laude efferrent, inde a Pisistrati temporibus esse fictas, quamquam certis argumentis, quantum video, nondum probatum est, tamen vulgo putatur. Sed haud levibus dubitationibus haec sententia obnoxia est. Primum enim nimia, ut mihi quidem videtur, audacia eis, quae Pisistrati aetatem antecedunt, testimoniis haud raro fides abiudicata est. Deinde quae ante saeculi a. Chr. n. sexti finem neque in litteris neque in artis monumentis inveniantur fabulae Theseae, quamvis perspicuam recentioris originis speciem prae se ferre videantur, tamen cave ne ei multum tribuas, priusquam et forma singularum fabularum et argumento inquisitis consilium detexeris.

Quod ut exemplo comprobetur, fabulae, quae de Thesei Ariadnaeque amoribus, si antiquissimis testibus confidimus, multo ante Pisistrati tempora per ora Jonum volitabat, historiam propono.

---

## I.

Ariadnam deam fuisse in insulis orisque Aegaei maris quondam cultam compluribus testimoniis constat.

Quorum longe vetustissimum extat in descriptione scuti Achillei (Il. Σ 590 sqq.)[1]:

[1]) v. Robert, Philol. Unters. herausg. v. Kiessling u. v. Wilamowitz X p. 11 adn. 1.

*Ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις,*
*τῷ ἴκελον οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσῷ εὐρείῃ*
*Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ.*
*ἔνθα* e. q. s.

Ac multum laboris atque ingenii viri doctissimi impenderunt, ut quid verbo *χορός* poeta significaret, vel intelligerent vel fingerent. Quorum conamina omnia nunc mitti licet, postquam nuperrime Benndorfii[1]) sagacitate verbi *χορός* notio, si non primum patefacta, at imagine, qualis poetae, cum saltationem describeret, animo sine dubio obversabatur, illustrata est.

Itaque ut primum relata referam, Benndorfius evicit, saltationem illam Homericam formam esse ludi notissimi, qui inde a Romanorum temporibus per medium aevum *ludus Troiae* nominabatur, antiquissimis autem temporibus apud Italos *truia* audiebat. Quod apparet e vase Tusco ad Tragliatellam reperto[2]), quod agmen septem militum saltantium duorumque equitum exhibet pictum iuxta ornamentum, labyrinthi Cretici, qualis in nummis Gnosiacis inde a saeculo a. Chr. n. quarto invenitur, simillimum; cuius in gyris vox *truia* scripta est. Atque cum constet et litterarum ductu[3]) et picturae specie in vase illo exemplar Graecum septimo vel sexto saeculo in ea regione, quam Jonicam appellamus, natum haud sollerter esse expressum, cumque qui ab Homero diligenter describuntur saltationis modi gyris figurae in vase appositae plane respondeant, dubium esse vix potest, quin in scuto quoque Achilleo poeta et saltantium chorum et iuxta eum loci ad saltandum apti imaginem labyrinthi forma ut in aequalium artificum operibus repraesentatam sibi finxerit. Sequitur, ut *χορόν* a Daedalo

---

[1]) *Ueber das Alter des Trojaspieles,* dissertatio adnexa M. Buedingeri, *Die römischen Spiele und der Patriciat. Sitzungsb. d. Kais. (Wiener) Akad. d. Wissenschaft. CXXIII, 3.*

[2]) cf. Bull. dell' Inst. 1881 p. 65 sqq. Annali 1881 tav. d'agg. L. M. p. 166 sqq.

[3]) cf. O. Mueller, *Etrusker II p. 526 tab. col. II.*



Ariadnae aliquo modo ei similem structum accipiamus, qui in nummis et in vase apparet. (Cf. Benndorf. l. l. p. 6 c. adn.)

Haec fere est Benndorfii argumentatio.

Cuius invento cum constet, saltationes illius homericae similes in labyrintho a Daedalo Ariadnae, deae Gnosiacae, structo olim esse factas, num tale quid in aliis religionibus in usu fuerit, quaeramus.

Atque singulas Eleusiniorum mysteriorum caerimonias eis, quae de Cereris luctu atque erroribus in hymno Homerico V narrantur, quasi imagine esse expressas Dielesius, magister venerandus — cuius, quae de erroribus sacris infra legentur, benignitati debeo — in libro, quem inscripsit *Sibyllinische Blätter,* demonstravit (p. 122 sq.). Huc quadrat Plutarchi testimonium (de anima fragm. I 6 = III 9, 32 ed. Didot.)[1]), quo mystas inter alios ritus etiam per subterraneas vias errasse traditur.

Ac iuvat monere, cum alios tum Engelium in *Quaestionibus Naxiacis (Gottingae 1835 p. 48 sqq.)* Ariadnam quasi speciem quandam Proserpinae esse interpretatos. Nitebantur autem in memoria Plutarchi (vit. Thesei c. XX), qui Naxi alteram Ariadnam sollemnibus lugubribus alteram hilaribus cultam esse narrat. Neque enim dubium est, quin diversis his ritibus, qui a Plutarchi auctoribus ad duas Ariadnas referebantur, unius eiusdemque deae decessus et reditus celebrati sint.

Errores autem sacri non Cereris cultus sunt proprii, sed ut in antiquissimis religionibus fere fit, communes multis aliorum

---

[1]) *Οὕτω κατὰ τὴν εἰς τὸ ὅλον μεταβολὴν καὶ κατακόσμησιν ὀλωλέναι τὴν ψυχὴν λέγομεν ἐκεῖ γενομένην· ἐνταῦθα δὲ ἀγνοεῖ, πλὴν ὅταν ἐν τῷ τελευτᾶν ἤδη γένηται· τότε δὲ πάσχει πάθος οἷον οἱ τελεταῖς μεγάλαις κατοργιαζόμενοι· Διὸ καὶ τὸ ῥῆμα τῷ ῥήματι καὶ τὸ ἔργον τῷ ἔργῳ τοῦ τελευτᾶν καὶ τελεῖσθαι προσέοικε. Πλάναι τὰ πρῶτα καὶ περιδρομαὶ κοπώδεις, καὶ διὰ σκότους τινὲς ὕποπτοι πορεῖαι καὶ ἀτέλεστοι.* Inter mysteria etiam *ludus Troiae* a Romanis habebatur cf. Galen. de ther. ad Pisonem c. 1 ed. K. XIV 212 (v. Marquardt, *Handb. d. röm. Alt. VI² 526): ἐφ' ᾧ δὴ καὶ τοὺς εὐγενεστάτους παῖδας ἱππεύοντας εὐρύθμως καὶ χορεύοντας ὥσπερ τοῖς ἵπποις ἔδει τινὰ τῶν μυστηρίων αὐτοὺς ἐπιτελεῖν.*

deorum caerimoniis. Nam ut in Eleusiniis errores peccatorum et noviciorum contrarii sunt initiatorum iuxta Eleusinios deos deliciis, ita *Ἀλήιον πεδίον* oppositum est *Ἠλυσίῳ πεδίῳ* apud Homerum[1]) et haec ex initiis remotissimis repetita sunt utpote quae de anima mortui aut errante aut recepta in locum occidentalem, quo p e r v e n i r e debeat (*Ἐλευσίς*, *Ἠλύσιον*) antiquitus dici solerent. Etiam in Apollinis cultu vel potius in cultu Delphico, qui ante Apollinem fuisse videtur, erroribus sacris in mysterio dramatico locus erat datus, quod nono quoque anno fiebat. (Cf. Plutarch. de defectu orac. c. 15.) Nam in area (*περὶ τὴν ἅλω*) tabernaculum (*καλιάς*) extruebatur, quo per noctis silentium (*μετὰ σιγῆς*) impetus fiebat, cuius dux est puer matrimus et patrimus, lucentibus facibus. Via, per quam illuc veniunt, appellatur *Δολωνεία*. Ergo vides puerum Apollinis Pythoctoni vices gerentem Thesei similem esse, qui per labyrinthi dolos et errores Minotaurum petit.

Saltatio igitur illa Homerica, quam Itali a *truando* i. e. saltando *truiam* vocabant, deducenda est ex erroribus sacris, quales in cultu Ariadnae Gnosiaco, Cereali nimirum simili, antiquitus fieri solebant. Huc referenda sunt, quae in fine schol. Il. Σ Ven. A. B. leguntur.[2]) Adde Callimachi testimonium, qui chorum cyclicum a Theseo Deli institutum in hymno in Delum insulam conscripto (v. 307 sqq.) commemorat.[3]) Hac enim saltatione Theseum eiusque comites labyrinthi dolos esse

---

[1]) cf. F. Duemmler, Theolog. Litteraturzeit. 1890 p. 565.

[2]) *ἐξελθὼν δὲ μετὰ τὸ νικῆσαι Θησεὺς μετὰ τῶν ἠιθέων καὶ παρθένων χορὸν τοιοῦτον ἔπλεκεν ἐν κύκλῳ τοῖς θεοῖς, ὁποία καὶ ἡ τοῦ λαβυρίνθου εἴσοδός τε καὶ ἔξοδος αὐτῷ ἐγεγόνει· τῆς δὴ χορείας τὴν ἐμπειρίαν ὁ Δαίδαλος αὐτοῖς ὑποδείξας ἐποίησεν.* cf. Preller, Archäol. Zeitung 1855 p. 77 sqq. = *Ausgewählte Aufsätze p. 301.*

[3])
*δὴ τότε καὶ στεφάνοισι βαρύνεται ἱρὸν ἄγαλμα*
*Κύπριδος Ἀρχαίης ἀριήκοον, ἥν ποτε Θησεὺς*
*εἵσατο σὺν παίδεσσιν, ὅτε Κρήτηθεν ἀνέπλει·*
*οἳ χαλεπὸν μύκημα καὶ ἄγριον υἷα φυγόντες*
*Πασιφάης καὶ γναμπτὸν ἕδος σκολιοῦ λαβυρίνθου,*
*πότνια, σὸν περὶ βωμὸν ἐγειρομένου κιθαρισμοῦ*
*κύκλιον ὠρχήσαντο, χοροῦ δ' ἡγήσατο Θησεύς.*



imitatos Plutarchus narrat (vit. Thes. XXI)[1]). Quod circa Veneris aram eiusque imaginem chorum esse ductum ab utroque traditur, arta, qua etiam Amathunte in urbe Cypria Ariadnam cum Venere iunctam invenimus[2]), necessitudine[3]) suspicio movetur, Deli Ariadnae cultum antiquiorem in recentiorem Veneris transiisse.

Sed ut firmo fundamento careat haec coniectura, constat illud, Gnosiacam saltationem similem fuisse Deliacae. *Γέρανος* haec ea de causa videtur esse appellata, quod qui ei intererant, pueri et puellae vel manibus iunctis[4]) vel fune capto tam arte cohaerebant, ut velut grues duci adhaerere viderentur.[5])

---

[1]) *ἐκ δὲ Κρήτης ἀποπλέων εἰς Δῆλον κατέσχε* (sc. *Θησεύς*)· *καὶ τῷ θεῷ θύσας καὶ ἀναθεὶς τὸ ἀφροδίσιον, ὃ παρὰ τῆς Ἀριάδνης ἔλαβεν* (cf. Paus. IX 40, 3 sq.), *ἐχόρευσε μετὰ τῶν ἠιθέων χορείαν, ἣν ἔτι νῦν ἐπιτελεῖν Δηλίους λέγουσι, μίμημα τῶν ἐν τῷ Λαβυρίνθῳ περιόδων καὶ διεξόδων ἔν τινι ῥυθμῷ παραλλάξεις καὶ ἀνελίξεις ἔχοντι γιγνομένην. Καλεῖται δὲ τὸ γένος τοῦτο τῆς χορείας ὑπὸ Δηλίων γέρανος, ὥς ἱστορεῖ Δικαίαρχος. Ἐχόρευσε δὲ περὶ τὸν Κερατῶνα βωμόν, ἐκ κεράτων συνηρμοσμένον εὐωνύμων ἁπάντων.*

[2]) Ibi similiter atque apud Naxios ab Ariadnae fatis et morte mirabiles caerimoniae repetebantur; quas Plutarchus Paeonem Amathusium secutus sic describit (l. l. c. XX): *ἐν δὲ τῇ θυσίᾳ* (Ariadnae, ut videtur, oblata) *τοῦ Γορπιαίου μηνὸς ἱσταμένου δευτέρᾳ κατακλινόμενόν τινα τῶν νεανίσκων φθέγγεσθαι καὶ ποιεῖν ἅπερ ὠδίνουσαι γυναῖκες· καλεῖν δὲ τὸ ἄλσος Ἀμαθουσίους, ἐν ᾧ τὸν τάφον δεικνύουσιν, Ἀριάδνης Ἀφροδίτης.* De Veneris erroribus cf. Bion. epitaph. Adonid. 19 sqq.

[3]) cf. Preller-Robert, *Griech. Mythologie p. 372 sq.*

[4]) cf. Il. Σ 594. Hoc schema cyclici (cf. p. 4 adn. 2 et 3) chori esse apparet ex mystico hyporchemate, quod imitatus est in Thesmophoriazusis comicus (v. 953 sqq.)

*ὅρμα, χώρει*
*κοῦφα ποσίν, ἄγ' ἐς κύκλον,*
*χειρὶ σύναπτε χεῖρα,*
*ῥυθμὸν χορείας ὕπαγε πᾶσα· βαῖνε*
*καρπαλίμοιν ποδοῖν.*
*Ἐπισκοπεῖν δὲ*
*πανταχῇ κυκλοῦσαν ὄμμα χρὴ χοροῦ κατάστασιν.*

cf. v. 968 *εὐκύκλου χορείας.*

[5]) Indidem Dielesius, qui coniecturam, quam supra posui, comiter mihi suppeditavit, etiam illud repetit, quod Graeci de aliis quoque salta-

Atque commemorantur in titulis Deliorum, qui rerum sacrarum indices exhibent (Bulletin de corresp. hellén. VI (1882) p. 23, 183) *λαμπάδες, ῥυμοὶ* (i. e. funes) *εἰς τοὺς χορούς*, (ib. 186) *ῥυμοὶ εἰς τοὺς χοροὺς Ἀρτεμισίοις Βριτομαρτίοις*, (ib. 189) *Ἀφροδισίων τῶι χορῶι λαμπάδες, ῥυμοί.*[1])

En vides, quid sibi velit filum notissimum, quod ab Ariadna Theseo datur, quo se ipsum et comites e labyrintho servet. Tenemus imaginem saltantium lino coniunctorum eiusque ducis, qui in Ariadnae Gnosiacae *χορῷ* i. e. in labyrintho errare solebant.

Accedit quod in hac fabula[2]), cuius primum auctorem Pherecydem novimus[3]), Ariadna filum accipit a Daedalo. Eundem Ariadnae deae labyrinthum struxisse et Theseum victorem saltationis modos docuisse ex Homero eiusque scholiasta supra comperimus. Iam audias haec (Apollod. epit. Vatic. II 4 ed. Wagner. cf. Zenob. IV 92) *Δαίδαλον δὲ ἐδίωκε Μίνως*[4]), *καὶ καθ' ἑκάστην χώραν ἐρευνῶν ἐκόμιζε κόχλον καὶ πολὺν ἐπηγγέλλετο δώσειν μισθὸν τῷ διὰ τοῦ κοχλίου λίνον διείρξαντι, διὰ τούτου νομίζων εὑρήσειν Δαίδαλον. ἐλθὼν δὲ εἰς Κάμικον τῆς Σικελίας παρὰ Κώκαλον, παρ' ᾧ Δαίδαλος ἐκρύπτετο, δείκνυσι τὸν κοχλίαν, ὁ δὲ λαβὼν ἐπηγγέλλετο διείρξειν καὶ Δαιδάλῳ δίδωσιν. ὁ δὲ*

tionibus, velut de comica illa, quae *κόρδαξ* audiebat, vocem *ἕλκειν* usurpabant. cf. Terent. Adelph. 752 *tu inter eas restim ductans saltabis.*

[1]) cf. Robert, Hermes XXI p. 166 adn. 1. Diels, *Sibyll. Blätter p. 91 sq.* Eisdem in titulis commemoratur *Γέρανος* quaedam; cf. Bulletin de corr. hell. X p. 464 sq. l. 84 *ἡ καλουμένη Γέρανος*, ib. 102 *ὅρμος ὁ περὶ τεῖ Γεράνῳ περίχρυσος ἄστατος*, ib. 76 *τῶν ἀπὸ τῆς Γεράνου ἀποπεπτωκότων*; quod videtur esse donum ab eis dedicatum, qui quondam *Γέρανον* saltataverant. cf. Bull. XIV p. 403, 16 *φιάλη, ἀνάθημα Δηλιάδων, χορεῖα.*

[2]) Quae cum non fortuito coniuncta sit cum religionibus emorientis renascentisque naturae, inde Lini quoque sacra fore ut patefiant confidit Dielesius.

[3]) v. infra. In signis Pherecydis aetate vetustioribus filum non certo agnoscitur. cf. Robert, Jahrbuch d. Archaeol. Instituts IV (Archaeol. Anzeiger) p. 142 sq.

[4]) Quod Theseum eiusque comites servaverat. cf. Aristotelem in Heracl. Pont. exc. XLI (*διὰ τὸ δεῖξαι τὴν εἰς τὸν λαβύρινθον εἴσοδον*). Disputat de hac re Wagnerus in *Curis mythographis* epitomae Vaticanae additis (p. 131).



*ἐξάψας μύρμηκος λίνον καὶ τρήσας τὸν κοχλίαν εἴασε δι' αὐτοῦ διελθεῖν. λαβὼν δὲ Μίνως τὸ λίνον διειργμένον ᾔσθετο ὄντα παρ' ἐκείνῳ Δαίδαλον καὶ εὐθέως ἀπῄτει*[1]).

Apparet cochleam, per quam filum a Daedalo ducitur, imaginem esse labyrinthi.

Theseus, chori dux, in vase celeberrimo Clitiae et Ergotimi[2]) conspicitur. Ubi munere vatis i. e. *θείου ἀοιδοῦ φορμίζοντος* (cf. Σ 604 sq.) fungitur, cum chorum septem iuvenum totidemque virginum manus iungentium (cf. p. 5 adn. 4) ad Ariadnam eiusque nutricem ducit. Ad oram autem, ubi saltatio fit, navis appulsa est plena nautarum, qui gaudio exsultant. Atque in Creta ipsa a Theseo Minotauro devicto comitibusque e labyrintho ductis Ariadnae gratia referri videtur.[3])

Neque vero modo ut gratiam referat, Theseus *χορηγοῦ* munus suscipit, sed haec provincia eius propria artificibus visa est; id quod lyra probatur, quam in vase Archiclis et Naucydis[4]) Minerva, dum Minotaurus a Theseo caeditur, dextra manu tenet. Nam haec certe non deae sed Thesei lyra est.

Eadem ornatus erat in imagine arcae a Cypselo Corinthio Olympiam dedicatae, quam Pausanias (V 19, 1) describit his verbis (*Τέταρτα δὲ ἐπὶ τῇ λάρνακι . . . Βορέας ἐστὶν ἡρπακὼς Ὠρείθυιαν . . . καὶ Ἡρακλέους ὁ πρὸς Γηρυόνην ἀγών . . .*) *Θησεὺς δὲ ἔχων λύραν καὶ παρ' αὐτὸν Ἀριάδνη κατέχουσά ἐστι στέφανον.* Quae cum legimus, in mentem venit chori a Clitia in vase positi; e quo quasi summa vates cum heroide, cui chorus offertur, ab arcae pictore depromptus est. Sed Thesei cum Ariadna coniunctionem illorum temporum hominibus non tam rem sacram quam amantium coniugium visum esse apparet e ceteris arcae imaginibus, quibus deum vel heroa cum dea

[1]) cf. Sophoclis Camiciorum fragm. 301: *ἀλίας στραβήλου τῆσδε τέκνον, εἴ τινα δυναίμεθ' εὑρεῖν [ὃς διείρειεν λίνον]*. cf. Wagner. l. l. p. 132.

[2]) cf. Klein, *Die griech. Vasen mit Meistersignaturen² p. 32 sqq.* et Wiener Vorlegeblätter 1888 tab. III.

[3]) cf. Preller. l. l. et Heberdey, Archaeolog.-Epigraph. Mittheilungen aus Oesterreich-Ungarn XIII p. 78 sqq.

[4]) cf. Klein. l. l. p. 77, 4 et Wiener Vorlegebl. 1889 tab. II.

amata vel muliere coniunctum videmus (cf. Boream Orithyiam, Idam Marpessam, Jovem Alcumenam, Menelaum Helenam, Jasonem Medeam, Martem Venerem).

Lyra autem quam tenet Theseus, quasi symbolo praeditus videtur; quod ne eorum quidem, qui post illa tempora vivebant, memoria excidisse ex eis collegerim, quae Hyginus in Astronomicis de lyrae signo profert (Poet. Astr. II 6): *hac etiam de causa nonnulli lyram, quae proxima est ei signo* (Engonasin sc. quod Theseus ab Hegesianacte dicitur) *collocata, Thesei esse dixerunt, quod ut eruditus omnium artium, lyram quoque didicisse videbatur(!): id quoque Anacreon dicit:*

ἀγχοῦ δ' Αἰγείδεω[1]) Θησέος ἐστὶ λύρη.

Neque enim veri est dissimile, astrologos Alexandrinos, quos Hyginus sequitur, ut lyrae sidus ad Theseum referrent, memoria lyrae Theseae nescio unde eruta esse commotos.

Huc quamvis cunctanter revocaverim etiam illud, quod Theseus Phemii filius audit in Lycophronis Alexandrae vss. 1322 sqq.

Πάλιν δ' ὁ πέτρας ἀσκέρας ἀνειρύσας
καὶ φασγάνου ζωστῆρα καὶ ξίφος πατρὸς
ὁ Φημίου παῖς e. q. s.

Quae cum vulgari fabulae, qua Theseus Aegei filius nominatur, repugnent, scholiasta difficultate ita se expedit, ut dicat ὁ Φημίου παῖς] ἀντὶ τοῦ Φημιάδου· Αἰγεὺς γὰρ Φημίου ἦν παῖς, Αἰγέως δὲ Θησεύς. De Aegeo enim diversa ferebantur: ab aliis Pandionis filius legitimus ab aliis adoptivus habebatur (cf. Plut. Thes. XIII). Ex arbitrio igitur grammatici cuiusdam, non ex testimonio, quod Lycophronis memoriae opponi possit, scholiastae interpretationem pendere cum censeam, verbis autem ὁ Φημίου παῖς non ipsius inventum sed doctrinam longe repetitam a Lycophrone proferri cum sit verisimile, Theseum re vera

[1]) Sic Bergkius *(Poet. Lyr. III p. 280 sqq.)* cum cod. Guelf. vulgo δαὶ τοῦ. Meinekius *(Anal. Alexandr. p. 243)* αἰνητοῦ vel Ἀκταίου proposuit. Idem Anacreontem ab Hygino laudatum non poetam Teium sed iuniorem carminis astronomici auctorem esse suo iure statuit.



quondam Phemii cuiusdam filium putatum esse crediderim.[1]) Iam sub voce Φήμιος deminutiva nimirum Εὔφημον[2]) vel Χαρίφημον latere cum conici liceat, vide quam apte is, qui vatis munere quasi proprio fungitur, Φημίου παῖς appelletur.

Ut lyram Thesei ita coronam Ariadnae symbolum iudicandum esse postea videbimus, cum quae huc spectant fabulas accuratius inspexerimus. Quamquam num illud ipsum in arca agnoverim, dubius haereo. In vase enim Clitiae aliisque nigris figuris exornatis, quae, ut vas Archiclis, Minotauri cladem exhibent, Ariadnam conspicimus taeniam tenentem.[3]) Diiudicari autem nequit, utrum is, cui descriptio arcae debetur, eiusmodi taeniam, quae ad victoriam Thesei potius referenda quam Ariadnae propria censenda videtur, in arca conspexerit an coronam. Porro si coronam re vera pictam fuisse statuamus, provocaverit quispiam ad ea monumenta, quae Apollini fidibus canenti vel vati mulierem, quae coronam, victoriae ni fallor signum, tenet, oppositam exhibent. Quorum unum, paterae Cachrylionis[4]) signum internum, Milanius[5]) ad arcae imaginem illustrandam aptum id esse ratus Theseum et Ariadnam inter-

[1]) Phemios praeter procorum vatem Homericum (Od. α 154 al.) novimus complures. Inter quos ad Phemium, Ampycis filium, Phemiarum conditorem animum velim intendas. Phemiae enim oppidum situm erat in regione Arnaea (cf. St. B. s. v. Φημίαι, πόλις τῆς Ἀρναίας, ἀπὸ Φημίου τοῦ Ἄμπυκος cf. s. v. Φιληνόριον, πόλις ἐν Ἀρναίᾳ χώρᾳ τῆς Βοιωτίας) i. e. apud Chaeroneam aut Acraephium, quorum oppidorum aut hoc (Strab. 9, 413) aut illud (Paus. IX 90, 5; St. B. s. v. Χαιρώνεια, al.) Arne Homerica (Il. Β 507) putabatur. In his autem regionibus Theseum quondam regnasse apparet e versu Hesiodeo δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης (Plut. vit. Thes. XX), de quo infra p. 21 sqq. disputabitur. Neque Phemium, regem Aenianum omiserim; nam hi quoque, cum Cirrham tenerent (Plut. Quaest. gr. 36), haud procul a Panope aberant.

[2]) Εὔφημος extat in genere Homeri, quod cert. Hes. et Hom. auctor exhibet (45 Rz.), Εὔφημος pater Stesichori audit apud Hes. Suid.

[3]) v. Stephani, *Theseus u. Minotaurus tabb.* et W. Müller, *Die Theseusmetopen vom Theseion p. 5 sqq.*

[4]) Klein. l. l. p. 127, 8. Brit. Mus. cat. n. 827. Wien. Vorlegebl. D. T. 7.

[5]) Mus. ital. di antichità class. III p. 274 s.

pretatus est. Placet haec coniectura, quod in extera paterae parte Theseus Antiopam rapturus conspicitur. Sed ut coronae, de qua quaerimus, vim aliquam fabularem tribuamus non sufficit.

Verum longe aberravimus a via, quam initio huius capitis ingressi sumus. Pergamus igitur vestigia cultus Ariadnaei legere.

Extat enim testimonium ab aliis, fortasse quod ad fabulam Ariadnaeam explorandam vel religiones parum inde lucri faciebant, omissum, ab aliis, quibus fides non extra dubitationes posita videbatur, consulto spretum. Quod cum narratione contineatur, quam de Hesiodi morte auctor certaminis Homeri et Hesiodi inde a v. 205 (Rzach p. 245) exhibet, quid de huius fabulae fontibus a Bergkio[1]), Nietzschio[2]), Flachio[3]), Friedelio[4]) aliis exploratum sit, paucis exponere opus est.

Atque duae potissimum narrationes apud veteres ferebantur, quarum alteram Alcidamas, Gorgiae sophistae discipulus, in libro *Μουσεῖον* inscripto condidit, alteram Eratosthenes in carmine, cui nomen *Ἡσίοδος* vel *Ἀντερίνυς* imposuit. Illius memoria apud auctorem certaminis et Joannem Tzetzam[5]) deprehenditur; qui, quamquam fere ad verbum consentiunt, tamen suum quisque auctorem, non alter alterum exscripsisse videtur. Cum Eratosthene autem, cuius relationem auctor certaminis Alcidamanti opponit (v. 231 sqq.), Plutarchus (Conviv. sept. sap. c. 19 p. 162C. De anim. soll. c. 13 p. 969E.) et Pausanias (IX 31, 6)[6]) cum in summa consentiant, in singulis ita distant, ut eorum memoriam in unam congeri non liceat.[7])

Atque certaminis auctor, postquam Hesiodum, ut sacrum Iovis Nemei, ubi mori ei destinatum esset, vitaret, oraculo

---

[1]) *Anall. Alexandrina I 29* = Progr. acad. Marburg. 1846.

[2]) Mus. Rhen. XXV p. 532 sqq. XXVIII p. 211 sqq.

[3]) Hermes VIII p. 462.

[4]) Annal. Philol. Suppl. X (1879) p. 237 sqq.

[5]) Prolegg. ad comm. in Hes. opp. p. 15; Westermann, Biogr. p. 48, 88; Friedel. l. l. p. 239.

[6]) Hos et alios locos Friedelius l. l. p. 241 sqq. exscripsit.

[7]) Cf. Friedel. p. 260.



Delphico monitum esse narravit (sec. cod. Laurent. LVI 1 memoriam): *ὁ δ' Ἡσίοδος* inquit *ἀκούσας τοῦ χρησμοῦ, τῆς Πελοποννήσου μὲν ἀνεχώρει νομίσας τὴν ἐκεῖ Νεμέαν τὸν θεὸν λέγειν, εἰς δ' Οἰνόην τῆς Λοκρίδος ἐλθὼν καταλύει παρ' Ἀμφιφάνει καὶ Γανύκτορι, τοῖς Φηγέως παισίν, ἀγνοήσας τὸ μαντεῖον. ὁ γὰρ τόπος οὗτος ἅπας ἐκαλεῖτο Διὸς νεμίου* (i. e. *Νεμείου*) *ἱερόν· διατριβῆς δὲ αὐτῷ πλείονος γενομένης ἐν τοῖς οἰνῶσιν* (sic) *ὑπονοήσαντες οἱ νεανίσκοι τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν μοιχεύειν τὸν Ἡσίοδον, ἀποκτείναντες εἰς τὸ μεταξὺ τῆς Εὐβοίας καὶ τῆς Λοκρίδος πέλαγος κατεπόντισαν. τοῦ δὲ νεκροῦ τριταίου πρὸς τὴν γῆν ὑπὸ δελφίνων προσενεχθέντος ἑορτῆς τινος ἐπιχωρίου παρ' αὐτοῖς οὔσης Ἀριαδνείας πάντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν ἔδραμον καὶ τὸ σῶμα γνωρίσαντες ἐκεῖνο μὲν πενθήσαντες ἔθαψαν, τοὺς δὲ φονεῖς ἀνεζήτουν. οἱ δὲ φοβηθέντες τὴν τῶν πολιτῶν ὀργὴν κατασπάσαντες ἁλιευτικὸν σκάφος διέπλευσαν εἰς Κρήτην· οὓς κατὰ μέσον τὸν πλοῦν Ζεὺς κεραυνώσας κατεπόντωσεν, ὥς φησιν Ἀλκιδάμας ἐν Μουσείῳ. Ἐρατοσθένης δὲ* e. q. s.

Quibuscum comparo e Tzetzae narratione haec *ὁ δὲ τὴν ἐν Πελοποννήσῳ Νεμέαν φυγὼν ἐν Οἰνόῃ τῆς Λοκρίδος ὑπὸ Α. καὶ Γ. τοῦ Φ. παίδων ἀναιρεῖται καὶ ῥίπτεται εἰς τὴν θάλασσαν ὡς φθείρας τὴν ἀδελφὴν ἐκείνων Κτιμένην* (codd. *Κτημένην*) *ἐξ ἧς ἐγεννήθη Στησίχορος. ἐκαλεῖτο δὲ ἡ Οἰνόη Διὸς Νεμείου ἱερόν. μετὰ δὲ τρίτην ἡμέραν ὑπὸ δελφίνων πρὸς τὸν αἰγιαλὸν ἐξήχθη τὸ σῶμα μεταξὺ Λοκρίδος καὶ Εὐβοίας καὶ ἔθαψαν αὐτὸν Λοκροὶ ἐν Νεμέᾳ τῆς Οἰνόης· οἱ δὲ φονεῖς αὐτοῦ νηὸς ἐπιβάντες ἐπειρῶντο φυγεῖν, χειμῶνι δὲ διεφθάρησαν.*

Huic Alcidamantis narrationi ceterae, quas supra significavimus, obstant. Primum enim Hesiodum culpa puellae violatae ita liberare student, ut comitis, Demodis nomine (Erat. 236) vel Troili (Plut. conv. 19) crimen esse contendant — utramque formam Pausanias l. l. novit — deinde fratres virginis *Κτίμενον καὶ Ἄντιφον τοῦ Γανύκτορος* (Er. 231. Paus. Suid. s. v. *Ἡσίοδος*. Plut. de soll. an. c. 13) nominant, tum Locros non deos supplicium de interfectoribus sumentes faciunt (Er. Plut.

conv. Paus.) denique — id quod nostra plurimum interest — de loco sceleris ab auctore certaminis et a Tzetza plane dissentiunt.

Hoc modo Alcidamantis Eratosthenisque — ut hoc nomine ceteros comprehendam — narrationes distinentur. Salva igitur ratione fieri non potest, ut ceteras quis discrepantias agnoscat, solam eam autem, quae est de loco, amovere studeat. Atqui ex Alcidamantis memoria si quicquam, hoc perspicue elucet, Oenoen illam *Διὸς Νεμείου ἱερὸν* appellatam, ubi Hesiodus a filiis Phegei interfectus est, in ora sinus Euboici i. e. in finibus Locrorum Opuntiorum fuisse sitam. Neque puto unquam quemquam nomen *Οἰνόη*. quod et certaminis auctor et Tzetza tradunt[1]) vel verba *μεταξὺ τῆς Εὐβοίας καὶ τῆς Λοκρίδος*[2]), etiamsi de Oenoe oppido in finibus Locrorum Opuntiorum sito nil aliunde constat, coniecturis fuisse sollicitaturum (cf. Rzachii adnn.), nisi cum altera relatione, qua caedes Hesiodi ad Naupactum in finibus Locrorum Ozolarum facta esse traditur (cf. Plut. conv. 19.) congruerent verba Thucydidis (III 95, 3. 96, 1) *ὡρμᾶτο δὲ* (*ὁ Δημοσθένης* sc.) *ἐξ Οἰνεῶνος τῆς Λοκρίδος . . . αὐλισάμενος δὲ τῷ στρατῷ ἐν τοῦ Διὸς τοῦ Νεμείου τῷ ἱερῷ, ἐν ᾧ Ἡσίοδος ὁ ποιητὴς λέγεται ὑπὸ τῶν ταύτῃ ἀποθανεῖν, χρησθὲν αὐτῷ ἐν Νεμέᾳ τοῦτο παθεῖν, ἅμα τῷ ἕῳ ἄρας ἐπορεύετο ἐς τὴν Αἰτωλίαν.* Contra ad oram sinus Euboici referimur eis, quae Plutarchus (l. l.) de comite Hesiodi, Troilo, in flumine Daphno ad scopulum appulso narrat. *Δαφνοῦς* enim oppidum in Phocidis littore inter Locros Epicnemidios et Opuntios olim situm erat (cf. Plin. N. H. IV 20; Strab. IX p. 416. 424 fin. 426 in.), de

[1]) Pro *ἐν τοῖς οἰνῶσιν* (cert. 221) Friedelius, cum ad incolas oppidi Oenoes ea referret, suo iure scribi iussit *ἐν τοῖς Οἰνοεῦσιν*, quod Rzachius recepit.

[2]) Apud Tz. falso loco leguntur *πρὸς τὸν αἰγιαλὸν ἐξήχθη τὸ σῶμα μεταξὺ Λοκρίδος καὶ Εὐβοίας*, cf. certaminis verba *εἰς τὸ μεταξὺ τῆς Εὐβοίας καὶ τῆς Λοκρίδος πέλαγος κατεπόντισαν*. Nietzschius igitur (Mus. Rhen. XXVIII p. 263) coniecit *μεταξὺ Λ. καὶ Ε. καταποντισθέν*. Equidem incuria Tzetzae verba quae post *καὶ ῥίπτεται εἰς τὴν θάλασσαν* scribenda erant, in eum, quem nunc obtinent, locum detrusa esse putaverim.



flumine autem Daphno nihil scimus. Quare cum veri simile sit, id quod Roseus (Aristot. Pseudep. p. 511) et Flachius (l. l. p. 464) statuerunt, eadem aut similia nomina Locrorum Opuntiorum et Ozolarum fuisse communia (cf. *Ἀλόπη* Strab. IX 427.), agnoscamus duas de morte Hesiodi narrationes cum in aliis rebus tum in loco definiendo ita dissentientes, ut altera apud Oenoen Locrorum Opuntiorum, altera ad Oeneonem Ozolarum illum occisum esse tradatur.

Idem valet de sollemnitate, in qua caedes poetae patefit. Atque iam Bergkius (l. l. p. 29) contra Goettlingium, qui in Plutarcho (conv. 19) *Ἀριαδνείων* pro *Ῥίων* restituendum esse suspicatus erat, monuit, hic quoque observandum esse, duplicem famam fuisse, quarum alteram Alcidamantem memoriae prodidisse alteram Eratosthenem. Itaque cum ab huius parte etiam Pausanias stet, colligimus sollemnitatem Locrorum Ozolarum apud Rhium promunturium, ubi Neptuni templum Thucydides commemorat (II 84), huius dei gratia celebratam esse[1]), apud Opuntios autem Locros in honorem Ariadnae.

Restat ut testimonium excitem, quod num ad cultum Ariadnaeum referam dubito. Legimus enim apud Pausaniam (II 23, 7) haec *τοῦτό τε οὖν τὸ οἰκοδόμημά* (*κατάγεων* sc.) *ἐστι καὶ Κροτώπου μνῆμα καὶ Διονύσου ναὸς Κρησίου. Περσεῖ γὰρ πολεμήσαντα αὐτὸν καὶ αὖθις ἐλθόντα ἐς λύσιν τοῦ ἔχθους τά τε ἄλλα τιμηθῆναι μεγάλως λέγουσιν ὑπὸ Ἀργείων, καὶ τέμενός οἱ δοθῆναι τοῦτο ἐξαίρετον. Κρησίου δὲ ὕστερον ὠνομάσθη, διότι Ἀριάδνην ἀποθανοῦσαν ἔθαψαν ἐνταῦθα. Λυκέας δὲ λέγει κατασκευαζομένου δεύτερον τοῦ ναοῦ κεραμέαν εὑρεθῆναι σορόν, εἶναι δὲ Ἀριάδνης αὐτήν· καὶ αὐτός τε καὶ ἄλλους Ἀργείων ἰδεῖν ἔφη τὴν σορόν. πλησίον δὲ τοῦ Διονύσου καὶ Ἀφροδίτης ναός ἐστιν Οὐρανίας.*

Pergratum nobis fecisset Pausanias, si pro rebus mira-

[1]) Cf. Paus. X 11, 6 . . . *γενέσθαι δὲ ἀπὸ τῶν ναυμαχιῶν τούτων καὶ θυσίαν Θησεῖ καὶ τῷ Ποσειδῶνι ἐπὶ τῷ ὀνομαζομένῳ Ῥίῳ. καί μοι φαίνεται τὸ ἐπίγραμμα ἐς Φορμίωνα τὸν Ἀσωπίχου ἔχειν καὶ ἐς τοῦ Φορμίωνος τὰ ἔργα.* Quae ad idem illud tempus pertinere Bergkius putat, de quo Thuc. l. l. dicit.

bilibus de cultu aliquid adnotasset. Sollemnia enim Naxiorum Cypriorumque cum meminerimus, admodum probabile videtur Argi quoque religiones Ariadnae in usu fuisse. In his deae decessus fortasse non minoris momenti erat quam Naxi aut Amathunte. Causam autem mortis Argivi repetiisse videntur e rixa Persei, herois indigenae et Bacchi, dei advenae. Eiusmodi fabulam Nonnus in Dionysiacis profert (XLVII v. 566 sqq.); quam certe non ipse excogitavit sed ex Euphorionis *Dionyso*, ut videtur, hausit.[1] Euphorionis autem lucubrationibus cum alia, quidni hanc quoque fabulam e remotarum rerum notitia in lucem protractam esse statuamus?[2] Ad eandem Pausaniam verbis, quae supra exscripsimus, spectare vix crediderim.[3] Immo cum in templo Bacchi, cui cognomen erat *Κρήσιος*, Ariadnam sepultam esse comperisset, e fabula, quae de Ariadna, Minois filia, ferebatur, cognomen illud deducebat his verbis *Κρησίου δὲ ὕστερον ὠνομάσθη, διότι Ἀριάδνην ἀποθανοῦσαν ἔθαψαν ἐνταῦθα.* Huic coniecturae alias opponi licet. Equidem Ariadnam Argi dudum cultam, Bacchum autem Creticum appellatum esse puto, quod Argivi sicut insularum in mari Aegaeo sitarum incolae (cf. Diod. V 79, 1) vini cultum e Creta profectum esse narrabant (cf. Paus. II 22, 1).

---

[1]) Cf. XLII 688 c. Euphor. frg. XVI et Meinekium in *Anall. Alex. p. 50 sqq.* Accedit, quod Nonnus in enarranda fabula non sibi constat; XXV 11 enim Ariadnam a Perseo gladio occisam esse narrat, XLVII 688 autem Gorgonis capite in lapidem eam mutatam facit.

[2]) Perseus cum Maenadibus confligens in vase nigris figuris exornato conspicitur (Gazette archéol. I pl. 29), quod Paulus Kretschmer, cui hanc notitiam debeo, prope diem publice explicabit.

[3]) Id quod contra Koehlerum moneo, qui in libro *Ueber die Dionysiaka d. Nonnos. Halle 1853 p. 90* haec dicit: Pausanias II 20, 4; 22, 1; 23, 8 berichtet, dass zu Argos Grabmäler der in diesem Kampfe getöteten Ariadne und Bakchen errichtet und dass dem Bakchos nach hergestelltem Frieden ein *τέμενος* geweiht worden sei. De Chorea, Bacchi comite, quam una cum aliis Maenadibus in pugna occisam sed separatim sepultam esse Pausanias II 20, 4 tradit, nil certi habeo, quod proferam.



## II.

Simile *αἴτιον*, quod Graeci dicunt — ut iam ad ipsam fabulam Ariadnae transeam — versibus Od. λ 321-325 continetur. Quorum auctoritas iterum atque saepius a viris doctissimis impugnata est.[1]) Sed facio cum Bergkio[2]) qui totum locum delendum censeant, eos facili negotio difficultates tollere iudicanti. Nec plus lucramur eorum sententia, qui versus illos quidem ab Atheniensibus illatos, eo autem, ubi nunc leguntur, loco Ariadnam olim commemoratam fuisse statuerunt, Wilamowitzium dico[3]), Boehlavium[4]), Schoefferum[5]) Duemmlerum[6]) eum secutos[7]). Nam quae in Cypriorum carminis digressione[8]), quam heroidum catalogi auctorem vss. 260-280 et hoc loco spectasse vir ille doctissimus suo iure statuit[9]), Nestor de Theseo et Ariadna narraverit, e Procli verbis vix elicias. Verum ne opus quidem videtur ad fabulae formam nescio quam interpolatione Attica oblitteratam confugere — nisi forte ipsis Phaedrae et Procridis nominibus, quae in vs. 321 extant, originem atticam satis demonstrari Wilamowitzio concedimus. Sed minime omnes, quae nobis mere Atticae videntur esse fabulae, hominum Atticam incolentium initio erant propriae. Nonne exemplum luculentissimum habemus Theseum, qui cum

---

[1]) v. Kanter, *De Ariadne, quae et Bacchi et Thesei fertur coniux. Vratisl. 1879. p. 9 sq.*

[2]) Ind. lect. aest. Marburg 1850. Comm. crit. spec. V p. VIII sqq. cf. Nitzsch, *Erklärende Anmerkungen z. Odyssee III p. 251 sqq.*

[3]) *Homer, Unters. p. 150.*

[4]) Bonner Studien R. Kekulé gew. p. 136.

[5]) *De Deli insulae rebus p. 16 adn. 44.*

[6]) Mus. Rhen. XLV p. 178 sqq.

[7]) Similiter iam Hoeckius iudicavit *(Creta II p. 142).*

[8]) v. Ep. graec. fr. (ed. Kinkel.) p. 18 *Νέστωρ δὲ ἐν παρεκβάσει διηγεῖται αὐτῷ* (Menelao), *ὡς Ἐπωπεὺς φθείρας τὴν Λύκου θυγατέρα ἐξεπορθήθη, καὶ τὰ περὶ Οἰδίπουν καὶ τὴν Ἡρακλέους μανίαν καὶ τὰ περὶ Θησέα καὶ Ἀριάδνην.*

[9]) Quae in hoc fundamento Duemmlerus l. l. nuper posuit, num stare possint, valde dubito.

heros Atheniensis *κατ᾽ ἐξοχήν* putaretur, ita ut eius memoriam in carmina Homerica Pisistrato auctore insertam esse et antiquis et nostris temporibus fere constaret, nuperrime demum angustis Atticae finibus egressus eas, ubi quondam regnabat regiones quasi iure postliminii recuperavit? [1]) Nonne imaginem Orithyiae, Erechthei filiae, a Borea raptae in arca Cypseli repraesentatam (v. supra p. 7) e fabulis maris Aegaei oras insulasque quondam incolentibus haustam esse nunc constat? [2]) Quoad igitur nondum certis argumentis demonstratum est, Phaedrae et Procridis nominibus nil nisi fabulas Atticas poetam spectasse, formam antiquiorem nec iam nobis notam ei obversatam esse statui licet [3]).

Haud secus de verbis insequentis versus *Μίνωος ὀλοόφρονος* indicandum esse puto. Nam ea quoque Atticam originem prae se ferre videbantur eis, qui cum *ὀλοόφρονος — ὀλέθρια* vel *ὀλοὰ φρονοῦντος* intelligendum esse censerent, cognomina plane diversa *Διὸς μεγάλου ὀαριστής* (τ 179) vel *Διὸς ἀγλαὸν υἱόν* (λ 508) recordati ad firmandam suam sententiam Plutarchum accerserent [4]) dicentem (vit. Thes. XVI) *καὶ γὰρ ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις, καὶ οὔτε Ἡσίοδος αὐτὸν ὤνησε βασιλεύτατον οὔτε Ὅμηρος ὀαριστὴν Διὸς προσαγορεύσας* e. q. s.

[1]) v. Toepffer, Aus der Anomia (Archaeol. Beitr. C. Robert dargebr.) p. 30 sqq. et Kirchner, *Attica et Peloponnesiaca.* Gryphisw. 1890 p. 61 sqq.

[2]) v. Duhn, Heidelberger Festschrift zur Philologenversamml. in Karlsruhe 1882 p. 104 sqq. et Loeschcke, Dorpater Programm (1886).

[3]) In Euripidis Hippolyti editione nuper publici iuris facta Wilamowitzius, de ea, quam supra impugnare conati sumus, sententia aliquantum decessit; dicit enim haec: *Der Frauenkatalog ist aber eine verhältnissmässig späte compilation, und man ist gewohnt, grade die verse, welche Phaidra, Prokris, Ariadne nennen, als eine attische interpolation des sechsten jahrhunderts zu betrachten und überarbeitet sind sie sicher in Athen; das verrät sich in der form, und deutlicher noch darin, dass Theseus Athener ist. aber Ariadne kam auch in der Vorlage dieser partie, den Kyprien, vor, und ob Phaidra und Hippolytus schon im 6. jahrhundert in Athen aufnahme gefunden hatten, ist mindestens unsicher; auch Prokris, deren Geschichte halb in Kreta spielt, braucht nicht erst in Athen eingefügt zu sein.*

[4]) v. Kanter. l. l. p. 10.



Sed voce *ὀλοόφρων* nil nisi hoc probatur, eius, qui Ulixis ad inferos descensum descripsit aut hanc, quae seriem mulierum continet, carminis partem composuit, animo aliam Minois imaginem esse obversatam atque ceteris poetis epicis. Atqui in carmine λ haud pauca insunt, quae non nisi ex antiquissimis Graecorum moribus ac fabulis intelliguntur.[1]) Quidni cognomen quoque *ὀλοόφρων*, quod apud Homerum etiam Atlanti (α 52) et Aeetae (κ 137) inditum est, Minoi antiquitus adhaerere censeamus?

Ut in hac re auctor versuum 321—325 a ceteris poetis epicis distat, ita in v. 325

*Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσιν*

syllaba vocis *Διονύσου* secunda praeter morem epicum[2]) correpta usus est. Neque vero magis quam voce *ὀλοόφρων* Attica versuum origo forma *Διονύσου* comprobatur.[3])

Sed quaerat quispiam, quaenam restent offensiones, cum illas nullas esse censeam. Et sunt profecto graviores; quas Bergkius (l. l.) Nitzschium secutus indicavit. Cuius ratiocinationem paucis repeterem, nisi singula, quibus forte quispiam ad infringendam eam uti possit, vel cautiora vel accuratiora proferenda essent. Quare rem quasi integram iterum tractare mihi liceat.

Atque Ariadnam — sicut Procrim et Maeram (cf. Paus. X 30, 5), inter quas a poeta posita est — praematura morte abreptam esse Naxii et Cyprii narrabant cultusque caerimonias inde repetebant. Nec veri dissimile est, ceteris quoque, ubi Ariadnae religiones florebant, locis de deae decessu fabulas viguisse. Eiusmodi argumentum verbis versus 324 *πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα* continetur; neque longe quaesitum est; Diana

[1]) Cf. Rohde, *Psyche p. 45 sqq.*

[2]) v. Etym. Magn. s. v. *Διώνυσος*; cf. Hermann *opp. II 190 sq.*, Lobeck, *Aglaopham. p. 286*, Wilamowitz, *Aus Kydathen p. 225. Hom. Unters. p. 149.*

[3]) Cf. Wilamowitz, *Hom. Unt. p. 149 adn. 8* et Kretschmer, Aus der Anomia p. 22 sqq.

enim necopinata vel praematura morte mulieres auferre putabatur (cf. Preller-Robert, Griech. Mythol. p. 300).

Id quod non sine consilio moneo. Nam scholiasta Harleianus ad v. 324 adnotat haec *Ἄρτεμις ἔκτα] Ἀριστοφάνης γράφει Ἄρτεμις ἔσχεν*. Hoc *ἔσχεν* autem, quod scholiasta pariter atque Eustathius idem esse volunt quod *interfecit,*[1]) nihil aliud significare nisi *retinuit,* haud scio an nemo neget. Ad eandem recensionem altera, quae in codice Harleiano affertur, scripturae varietas[2]) referenda videtur. Nam si quis *ἔσχεν* exhibet, inter verba (*Θησεὺς Ἀριάδνην*) *ἦγε μὲν .... πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔσχεν* i. e. (*Theseus Ariadnam*) *secum ducere conatus est ... Diana enim eam retinuit* desiderantur, quae hunc fere sensum praebeant: *at consilium non perpetravit.* Id quod verbis *οὐδ' ἀπόνητο* minime efficitur; *ἀπονίναμαι* enim idem est, quod *frui aliqua re, quae confecta vel in promptu est.*[3]) Contra aptissima sunt, quae e scholio Harleiano elicimus, *οὐδ' ἐτέλεσσεν*. Versus autem *ἦγε μέν, οὐδ' ἐτέλεσσεν· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔσχεν* cum vss. 323 et 325 arte cohaeret, quod cum legimus *ἦγε*, quaerimus: unde et quo ducere conatus est? cum *ἔσχεν*, item: ubi retinuit?

Verum in hac sicut in vulgata recensione, quam sic accipio: *vidi Ariadnam, Minois filiam. Hanc Theseus e Creta Athenas ducere conatus est; sed flore eius frui Theseo non contigit,*[4]) *a Diana enim antea interfecta est in insula Dia,* plane obscura sunt ea, quae restant, *Διονύσου μαρτυρίῃσιν* i. e. *Baccho testante,* neque quae scholiastae, ut tradita verba explicarent,[5]) aut viri docti[6]) moliti sunt, cum usu verbi *μαρτυρίη* conciliari

---

[1]) *ἔσχεν, νῦν ἀντὶ τοῦ ἀνεῖλεν· γράφεται καὶ ἔκτα.*

[2]) *οὐδ' ἀπόνητο] τινὲς ἐτέλεσεν γρ.*

[3]) Cf. Od. *π* 119, *ρ* 292; c. gen. Il. *P* 25, Od. *ω* 30, Soph. Electr. 211, Apoll. Rhod. Arg. *B* 196, al.

[4]) Cf. schol. v. 324 *οὐδ' ἀπόνητο αὐτῆς, ἤτοι οὐκ ἐκορέσθη αὐτῆς, ἐπεὶ ἀπέθανεν B.*

[5]) v. 325 *ἐπεὶ ἀσέβειαν κατεμαρτύρησεν ὡς ἐν τῷ ἄλσει μιγείσης τῷ Θησεῖ.*

[6]) Exempli gratia affero Prelleri sententiam, quae ceteras probabili-



possunt (v. Bergk. l. l.). Haud facile praeterea intelligitur, cur poeta fabulam, quam spectabat, intra duorum verborum spatium coegerit. Nec tamen latet hoc consilium; sed ut patefiat, latius circumspiciendum est.

Atque Apollonius Rhodius in Argonauticis Jasonem, ut auxilium Medeae ad draconem domandum impetret, haec dicentem facit (*Γ* 997 sqq.)

*δή ποτε καὶ Θησῆα κακῶν ὑπελύσατ' ἀέθλων*
*παρθενικὴ Μινωὶς ἐυφρονέουσ' Ἀριάδνη,*
*ἥν ῥά τε Πασιφάη κούρη τέκεν Ἠελίοιο,*
*ἀλλ' ἣ μὲν καὶ νηός, ἐπεὶ χόλον εὔνασε Μίνως*
*σὺν τῷ ἐφεζομένη πάτρην λίπεν· οἱ δὲ καὶ αὐτὴν*
*ἀθάνατοι φίλαντο, μέσῳ δέ οἱ αἰθέρι τέκμαρ*
*ἀστερόεις στέφανος, τόντε κλείουσ' Ἀριάδνης,*
*πάννυχος οὐρανίοις ἑνελίσσεται εἰδώλοισιν.*
*ὣς καὶ σοὶ θεόθεν χάρις ἔσσεται, εἴκε σαώσῃς*
*τόσσον ἀριστήων ἀνδρῶν στόλον* e. q. s.

Haec verba quam sollerter Iasonis consilio adaptata sint, vel inde apparet, quod ille non solum omnia, quae Ariadnae secundum fabulam vulgatam nec non Apollonio ipsi notam (cf. *Δ* 433 sq.) perfidia Thesei acciderunt, silentio caute praetermittit, sed etiam Ariadnam ira patris sedata Theseum secutam et pro meritis corona caelesti honoratam esse fingit.

Quod poetae artificium interpres antiquus, cuius sententia in schol. v. 997 extat, adeo non cepit, ut refutandum id censeret, primum vulgata memoria[1]); deinde Homerum ad partes vocat, cum dicit *ὅτι δὲ οὔτε Μίνως συνεχώρησε τὸν γάμον*

---

tate antecedit. Is enim Ariadnam, priusquam Theseum adamaret, cum Baccho coniugio iunctam fuisse putat — eandem sententiam defendit Kanter in dissertatione, quam supra p. 15 adn. 1 laudavi — fidem igitur laesam causam fuisse cur a Diana Baccho accusante morte afficeretur. Archaeol. Zeitg. 1855 p. 11 sqq. = *Ausgew. Aufs. p. 293 sqq.*

[1]) *ὧν οὐδέτερον ἀληθές· καταλέλειπται γὰρ ὑπὸ Θησέως ἐν Νάξῳ· διαπεπαρθένευται δὲ ὑπὸ Διονύσου κατά τινας, ἐξ ἧς παιδοποιεῖ Οἰνοπίωνα, Θόαντα, Στάφυλον, Λάτραμυν, Ταυρόπολιν.*

*Ἀριάδνης οὔτε ἤγαγεν αὐτὴν εἰς Ἀθήνας Θησεὺς Ὅμηρός φησι ῥητῶς·* verbo *ῥητῶς* cum utatur scholiasta, exspectamus eos versus, quibus et Minois animus implacabilis et iter Ariadnae interruptum commemoratur i. e. lectionem vulgatam

*κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς*
*ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων*
*ἦγε μέν, οὐδ' ἀπόνητο·*

praesertim cum haec addat *τελευτῆσαι [δὲ] αὐτὴν (καταλειφθεῖσαν ὑπὸ Θησέως)*[1]) — sed vide, quomodo pergat: *δι' ὧν ὁ Ὀδυσσεύς φησι*

*Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον καλήν τ' Ἀριάδνην,*
*κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς*
*γήμας οὐδ' ἀπόνητο·*

Profert igitur talem loci Homerici recensionem, qua Apollonii memoria non modo non *ῥητῶς* negatur sed ne refutatur quidem. Quae perversitas levari vix potest, etsi, quod dictu proclive est, versum *ἐκ Κρήτης* e. q. s. librariorum culpa excidisse statuamus. Restat enim lectio *γήμας*, quae quomodo ex *ἦγε μὲν* orta sit, non video.

Quae cum ita sint, e commentario locupletiore scholiastam Laurentianum nonnulla negligenter hausisse arbitror. Continebat autem ille duas versuum Homericorum recensiones, alteram vulgatam, qua Apollonius refutabatur, alteram, qua quis fortasse poetam non mero fingendi studio indulsisse demonstrabat, hanc

*Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον καλήν τ' Ἀριάδνην,*
*κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς*
*γῆμε μέν, οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα.*

Atque comparare iuvat, ut usus dicendi comprobetur[2]), locos,

---

[1]) Cf. *πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα.* Verba, quae uncis ( ) seclusi, e prioris scholii partis memoria hausta esse videntur, ut cum illa vulgata conciliaretur Homerica.

[2]) Nam forsitan quis *γήμας οὐκ ἀπόνητο* legendum esse putaverit; id quod orationi pedestri magis conveniat. Cf. Herodot. I 168.



quos supra p. 18 adn. 3 attuli, Od. *π* 119, ubi Telemachus dicit

*αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς*
*μοῦνον ἐμ' ἐν μεγάροισι τεκὼν λίπεν οὐδ' ἀπόνητο*

et *ρ* 292 (de cane Ulixis)

*Ἄργος Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος, ὅν ῥά ποτ' αὐτὸς*
*θρέψε μέν, οὐδ' ἀπόνητο, πάρος δ' εἰς Ἴλιον ἱρὴν*
*ᾤχετο,*

sensus autem ut appareat, versus Euripideos ex Alcestide affero hos (334 sq. ed. Nauck., ubi Admetus dicit)

*ἅλις δὲ παίδων, τῶνδ' ὄνησιν εὔχομαι*
*θεοῖς γενέσθαι· σοῦ γὰρ οὐκ ὠνήμεθα.*

Tenemus igitur fabulae Ariadnaeae formam, qua — si modo versum *Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσιν* iure procul habemus — sicut artis monumentis Theseo soli cum Ariadna olim rem fuisse comprobatur.

Adnecto alteram.

Quo tempore Ariadnam a Diana interfectam esse poetae Homerico innotuit, rumor ora Theseo infesta pervasit, Minois filiam ab eo destitutam esse,

*δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης.*

Qui versus laudatur a Plutarcho (vit. Thes. XX) in hoc narrationis conexu *Πολλοὶ δὲ λόγοι καὶ περὶ τούτων* (de Thesei expeditione Cretica) *ἔτι λέγονται καὶ περὶ τῆς Ἀριάδνης, οὐδὲν ὁμολογούμενον ἔχοντες· οἱ μὲν γὰρ ἀπάγξασθαί φασιν αὐτὴν ἀπολειφθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Θησέως, οἱ δὲ εἰς Νάξον ὑπὸ ναυτῶν κομισθεῖσαν Οἰνάρῳ τῷ ἱερεῖ τοῦ Διονύσου συνοικεῖν, ἀπολειφθῆναι δὲ τοῦ Θησέως ἐρῶντος ἑτέρας·*

*δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης.*

*Τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς, ὥσπερ αὖ πάλιν ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου νεκυίαν τὸ*

*Θησέα Πειρίθοόν τε θεῶν ἀριδείκετα τέκνα*

*χαριζόμενον Ἀθηναίοις·*

Totum locum exscripsi, ut appareat, ad quantum perversitatis, qui uberrime fabulam Ariadnaeam tractavit, Kanter (l. l. p. 12 sq.) processerit, cum versum illum quidem in carmine quodam Hesiodeo extitisse sed minime auctorem eius Ariadnam a Theseo relictam esse tradidisse, immo Plutarchum ipsum hanc Thesei perfidiam Hesiodei carminis versu explicasse putaret. Plane enim eum fugit, Heream Pisistrato opprobio tribuere, quod et purgare Theseum et celebrare studuerit. Quamquam in Plutarchi memoria acquiesci nequit.

Primum enim apud Athenaeum in Thesei mulierum catalogo (XIII p. 557a), quem sicut simillimum a Plutarcho (Thes. XXIX) ex Istri Callimachii *Ἀτθίδων συναγωγῇ* haustum esse Wellmannus [1]) demonstravit, haec legimus *Ἡσίοδος δέ φησι* (fr. 130 Rz.) *καὶ Ἵππην καὶ Αἴγλην* (sc. *τὸν Θησέα νομίμως γῆμαι*), *δι' ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη, ὥς φησι Κέρκωψ·* quibuscum cf. Plutarchi verba (Thes. XXIX) *διὰ τὸν Αἴγλης ἔρωτα τῆς Πανοπέως, ὥσπερ εἴρηται, τὴν Ἀριάδνης ἀπόλειψιν αἰτιῶνται μὴ καλὴν γενέσθαι μηδὲ πρέπουσαν.* His enim cum eis, quae supra apposuimus, collatis aliisque causis accedentibus Wellmannus initium quoque illius capitis XX Hereae opprobrium continens ad Istrum redire suo iure statuit. Sed miratur vir doctissimus, quod Athenaei testimonio constet Istrum in Hesiodi carminibus de Aegle Thesei uxore legisse, nihil autem de Ariadna propter amorem Aeglae derelicta: immo huius rei Cercopem, poetam epicum, testem proferri. Qua difficultate argute se expedit; num recte, dubito. Nam coniciendi opera, quam et is et ante eum Marckscheffelius [2]), Welckerus [3]), alii impenderunt, facile supersedemus eo loco, quem e genuino Athenaei opere negligenter excerptum esse apparet, quod ordo, quo Ister mulierum nomina enumeraverat [4]) ita turbatus est, ut earum nomina, quas amore duxit Theseus uxores, omnino desint. Accitis Plutarchi verbis *καὶ διὰ τὸν Αἴγλης ἔρωτα* e. q. s. Aeglae mentionem huc spectare Wellmannus (p. 20) coniecit; sed ne a Plutarcho quidem auctorem accurate expressum esse, idem mulierum catalogus docet.

Itaque nil impedit, quominus, cum versum illum

*δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης*

e carmine, quod ab aliis Hesiodo ab aliis Cercopi tribuebatur, sumeret, Istrum utrumque nomen apposuisse statuamus, fortasse eo modo, quo in eodem Athenaeo scriptum legimus (XI p. 503 C. D. Hesiod. fr. 7 Rz.) *ὁ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας, εἴθ' Ἡσίοδός ἐστι ἢ Κέρκωψ ὁ Μιλήσιος.*

Plutarchus igitur in c. XX alterum nomen, si modo id eo loco, ubi Ariadnae fata enarrabat, Ister attulerat, omisit, in catalogo autem (c. XXIX) pluralem numerum *αἰτιῶνται* posuit; contra epitomator Athenaei narrationem inter Hesiodum et Cercopem stulte divisit.

Fere idem valet in Apollodori testimonia. Extant enim in bibliotheca, ubi ille Ius fabulam narrare incipit (II 1, 3, 1) haec *Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτήν* (sc. *τὴν Ἰώ*) *φασιν εἶναι* e. q. s. (Hes. fr. 4) et paulo infra *διό φησιν Ἡσίοδος οὐκ ἐπισπᾶσθαι τὴν ἀπὸ τῶν θεῶν ὀργὴν τοὺς γινομένους ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος.* Quibus verbis, quae in altero Aegimii libro extabant (cf. fr. 3), ea breviter ab homine mythographo relata videntur. Quod cum pergat (fr. 5) *Ἥρα δὲ αἰτησαμένη παρὰ Διὸς τὴν βοῦν φύλακα αὐτῆς κατέστησεν Ἄργον τὸν πανόπτην ὃν . . . Κέρκωψ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ θυγατρὸς* (*λέγει* sc.), non facile intelligi putat Marckscheffelius (l. l. p. 160), quomodo scriptor in duobus enuntiatis deinceps positis idem carmen duobus poetis, nulla eius rei facta significatione, tribuere potuerit. Qua in re nunc vix quisquam offenderit, qui Apollodorum minime ipsum carmen inspexisse sed variorum auctorum vel corporis mythographi memoriam exscripsisse sibi persuaserit.[1]).

[1]) *De Istro Callimachio. Gryphisw. 1886. p. 19 sqq.*

[2]) *Hesiodi, Eumeli, al. fragmenta p. 160.*

[3]) *Ep. Cycl. p. 266 (v. Mus. Rhen. Suppl. I 1, p. 248).*

[4]) Cf. verba *Ἴστρος γοῦν . . καταλέγων τὰς τοῦ Θησέως γυναῖκάς φησι τὰς μὲν αὐτῶν ἐξ ἔρωτος γεγενῆσθαι, τὰς δ' ἐξ ἁρπαγῆς, ἄλλας δ' ἐκ νομίμων γάμων.*

[1]) Cf. Bethii *Quaestiones Diodoreas mythographas. Goett. 1887* et Wagneri *Curas mythogr. p. 115 sqq.* In epitoma Apollodori Cercopis testimonium deest.

In Aegimio igitur carmine Hesiodeo versum illum quondam extitisse cum Schweighaeusero[1]) et Odofredo Muellero[2]) concludimus. At restat Welckeri dubitatio dicentis (p. 248): *Wenn Athenaeus XIII p. 557 D sagt: δι' ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη, ὥς φησι Κέρκωψ, so meinte er gewiss nicht, wie Schweighaeuser will, den Aigimios, sondern den von Cicero und Clem. Alex. I p. 397 erwaehnten Pythagoraeer Kerkops, welcher von Theseus und Ariadne namentlich in seiner Unterwelt (εἰς ᾅδου κατάβασις) sprechen und dem Hesiodos widersprechen konnte, von welchem Θησέως εἰς ᾅδην κατάβασις bekannt ist (Paus. IX 31, 5).*

Sed hanc sententiam iam Marckscheffelius infregit, cum quaereret, cur Cercops hac in re Hesiodo repugnasset, cum ne hic quidem Thesei perfidiam celavisset (Plut. Thes. XX). Praeterea ex Hereae opprobrio colligimus, carmen illud epicum fuisse inter antiquiora. De argumento parum constat, ut quod forsitan quis a nobis postulaverit, quasnam in eo partes Theseus egerit, aliqua probabilitatis specie ponere possimus.

Ariadnam autem, quae a Theseo, ut Aeglae Panopeae se dedat, deseritur, illam esse puto, cui Oenoe in oppido ad Phociorum fines sito a Locris Opuntiis sollemnia agebantur. (v. s. p. 9 adn. 1 et p. 13).

---

## III.

Ariadnam e dea, cui initio chorum offerebat Theseus, primum heroida fautricem factam, deinde amoris vinculo cum illo coniunctam, propter Aeglen denique destitutam vel a Diana necatam esse quoniam e scriptorum testimoniis artisque monumentis comperimus, num eam fabulae Ariadnaeae formam videlicet antiquissimam, qua Theseo soli cum Ariadna res est, mancam aut supplementi indigentem iudicemus? Ferebatur autem apud

[1]) Ad Athenaeum XIII p. 557.

[2]) *Dorier II p. 464 cf. I 30, Prolegomena p. 399.*



veteres tale supplementum variis modis exornatum, quo viris doctissimis plerisque summa fabulae contineri videtur, Bacchi dico amorem, quo Ariadnam a Theseo destitutam consolatus est.

Quae fabulae forma, cum magna testimoniorum copia excellat, quo ex fonte singuli rivuli deducti sint, nostrum est quaerere.

Quod officium cum subimus, in studiis Wellmanni, Bethii (l. l. p. 80 sqq.), Wagneri nitimur. His enim constat, e quo Apollodorus (ep. vat. I 7 sqq.)[1]), Diodorus (IV 61), Hyginus (fab. XLI) alii hauserunt, communem fontem fuisse compendium aliquod fabulare vel compendia plura arta necessitudine inter se cohaerentia. Neque de auctoribus, quorum narrationes in illa compendia confluxerunt, viri illi doctissimi quaerere omiserunt. Quamquam rem non eo perduxisse mihi videntur, ut fructus laboris percipi iam liceat. Proinde agrum denuo colamus.

Proficiscamur a Thesei vita, quam Plutarchus ita composuit, ut fabulam vulgatam, quam quasi fundamentum toti narrationi substruxit, plerumque leviter tantum tangeret, in enarrandis potius diversis fabulae formis luxuriaret. Quodcum de harum auctoribus vel Plutarchus ipse vel Wellmannus, cum Istrum Plutarchi fontem praecipuum detegeret, satis nos edocuerint, fieri potest, ut illis procul habitis continuum fabularum filum per totam Thesei vitam textum deducatur.

Atque in priore vitae parte narratio, quae est de Thesei iuventute, paucis adnotationibus turbatur; in posteriore autem, inde a capite XV, propter harum multitudinem vestigia continuae illius narrationis rariora sunt. Sed quod Plutarchus rem ita instituit, ut initio singularum vitae partium meram fabulam vel poneret vel paucis significaret, facili negotio eam secernimus; simulque e scriptorum nominibus, quae et fabulae formis et ceteris narrationibus Plutarchus addidit, apparet, secundum temporum rationes in singulis partibus seriem auctorum esse deductam.

[1]) Cf. fragmenta Apollodori Sabbaitica in Mus. Rhen. vol. XLVI p. 183 nuper edita. Quibus pauca tantum epitomae memoriae accedunt.

Quod cave ne levioris momenti iudices. Inde enim elucere videtur ea, quae in singulis capitibus Philochori aliorumque Atthidographorum, quos dicunt, memoriam praecedunt, etiam illic ubi Pherecydes vel Hellanicus non nominantur, eis esse tribuenda.

Accedunt alia. Theseum enim, cum in eo esset, ut cum pueris in Cretam veheretur, Apollinem votis sibi devinxisse Macrobio teste[1]) Pherecydes narravit. Idem fere Plutarchus in fabulae conexu duobis locis (XVIII in. et XXII med.) exhibet simplicique narrationi religiones Apollineas e reditu Thesei comitumque deductas Atthidographos secutus adsuit. Atqui in compendiis fabularibus tutela Apollinis a Theseo exorata desideratur nec, quod cultum spectet, unquam ibi extitisse verisimile est. Historiarum igitur Atticarum scriptori Philochori memoria antiquiori narrationem illam deberi colligimus. Iam quae Hellanicus tradiderit, cum a Plutarcho continuae narrationi, quae capite XVII initium capit, immixta verbis *Ἑλλάνικος δέ φησιν . . . ἔχειν τὴν ποινήν* diserte laudentur, Pherecydis memoria in capitis XVII initio, in verbis *πρότερον μὲν οὖν . . . ἀποσημαίνειν τὸ πάθος*, in cap. XVIII initio usque ad verba *εἰς Δελφίνιον* latet.

Quod obstant, quae in schol. Od. λ 322, cui subscriptum est *ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ*, leguntur *Θησεὺς ὁ Αἰγέως λαχὼν μετὰ τῶν ἠϊθέων εἰς Κρήτην πλεῖ*, cum voluntarie Theseum se obtulisse Plutarchus narret, hanc difficultatem, cum in scholii illius fidem infra inquiremus, amovere fortasse nobis continget.[2])

Transeamus igitur ad caput XIX. Cuius initio Plutarchus, postquam verbis *ἐπεὶ δὲ κατέπλευσεν, ὡς μὲν οἱ πολλοὶ γράφουσι καὶ ᾄδουσι* e. q. s. vulgarem fabulam breviter notavit, haec addit *Φερεκύδης δὲ καὶ* e. q. s. In magno igitur numero auc-

[1]) Sat. I 17, 21: *Pherecydes refert, Thesea, cum in Cretam ad Minotaurum duceretur, vovisse pro salute atque reditu suo Ἀπόλλωνι Οὐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι Οὐλίᾳ.*

[2]) Ac ne Macrobii quidem verbis *cum* . . . duceretur (cf. Hellanicum ap. Plut. XVII) multum tribuerim.



torum, qui illam tradiderunt, Pherecydes quoque habendus est. Iam in capite XX in. haec legimus *Πολλοὶ δὲ λόγοι καὶ περὶ τούτων* e. q. s. et paulo infra *Ἃ δ' ἐστὶν εὐφημότατα [τῶν*] μυθολογουμένων πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, διὰ στόματος ἔχουσιν.* Desideratur autem narratio ipsa, quae Plutarcho, cum haec scriberet, obversabatur. Quae e verbis capitis XXII *τῇ δὲ Ἀττικῇ προσφερομένων ἐκλαθέσθαι μὲν αὐτὸν, ἐκλαθέσθαι δὲ τὸν κυβερνήτην ὑπὸ χαρᾶς ἐπάρασθαι τὸ ἱστίον* elicienda videtur. Nam cum apud Apollodorum (ep. vat.), Diodorum (IV 61, 6) Pausaniam (I 22, 5) narretur, Theseum Ariadna privatum in tanta tristitia, quod a patre mandatum erat, esse oblitum, necessario deferimur ad alteram formam, qua Theseum dei monitu Ariadnam destituisse traditur. Auctorem autem modo Mercurium modo Minervam deprehendimus, illum in pulcherrima patera Cornetana[1]) et apud Serv. ad. Virg. Georg. I 222 *vel monitu Mercurii*, hanc apud Pherecydem — si fides est schol. λ 322. Quare hoc iam examinemus.

Atque Wagnerus nuperrime cum Apollodori epitoma scholiastae verba comparavit similitudineque cognita, quamquam de subscriptionum, quae in scholiis Homericis leguntur, fallacia doctum alibi se praestitit (p. 145), tamen Apollodorum Pherecydis vestigia legisse sine ulla dubitatione contendit. Extremam praeterea scholii partem plane omisit. Sed in hac ipsa insunt, quae subscriptionis fidem suspiciosam reddant. Totum scholium enim, cum oratione directa conscriptum sit, finitur his verbis *ἀναιρεθῆναι δὲ αὐτὴν ὑπ' Ἀρτέμιδος προεμένην τὴν παρθενίαν.* Quae cum narratione antecedente non cohaerere quoniam et re et dicendi modo probatur, scholiastam aliquem, ut narrationem illam Homericae adaptaret, *αὐτοσχεδίασμα* finxisse apparet. Nec minus dubium est, num quae enuntiato antecedente (*ὅθεν ὁ θεὸς ἐπιφανεὶς μίσγεται αὐτῇ*) *καὶ δωρεῖται στέφανον αὐτῇ χρυσοῦν, ὃν αὖθις οἱ θεοὶ κατηστέρισαν τῇ τοῦ Διονύσου χάριτι* continetur fabulae forma supra aetatem Alexandrinorum ascendat. Sidus

[1]) Mon. dell' Inst. XI 20; Annali 1880 (LII) p. 150 sqq. (Kekulé).

enim, quod coronae nomine fortasse antiquissimis iam temporibus est appellatum[1]), Ariadnae coronam non ante Aratum nominatam invenimus.

Sed non sola in extrema scholii parte deprehendo, quae ne verba *ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ* ad totam narrationem referamus, moneant.

Etenim ex ipsa similitudine scholii et epitomae Vaticanae, qua Wagnerus Pherecydis memoriam ab Apollodoro in usum vocatam esse sibi persuasit, nil nisi hoc collegerim idem vel similia compendia ab utroque esse expilata. Itaque cum in summa consentiant, in singulis discedunt. Quas discrepantias, in fusiore magis aut breviore fabulae explicatione quam in re eas positas esse ratus, Wagnerus frustra, ut mihi videtur, tollere conatus est. Nam cum Apollodorus (in ep.), Diodorus (IV 61, 5), Pausanias (I 20, 3; 22, 5; X 29, 4) tradant a Baccho Theseum Ariadna privatum esse, in scholio autem illo Minervam Theseum dormientem, ut Ariadnam Dia in insula relinqueret, cohortatam esse narretur, quomodo haec concilientur, ego non video. Wagnerus autem non caute progressus est, cum conflandi causa Diodori testimonium (V 51) afferret, quo eaedem, quas in scholio Minerva agit, partes Baccho tribuuntur his verbis *καὶ κατὰ τὸν ὕπνον ἰδὼν τὸν Διόνυσον ἀπειλοῦντα αὐτῷ, εἰ μὴ ἀπολείψει τὴν Ἀριάδνην αὐτῷ, φοβηθεὶς κατέλιπε καὶ ἐξέπλευσε. Διόνυσος δὲ νυκτὸς ἀπήγαγε τὴν Ἀριάδνην εἰς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Δρίος.* Ita enim Wagnerus rem sibi fingit, ut accuratiorem hanc narrationem in compendio fabulari nimirum traditam ab Apollodoro in pauca verba *ἔνθα Διόνυσος ἐρασθεὶς Ἀριάδνης ἥρπασε* coactam esse censeat, a Diodoro autem ipso verbis *Διόνυσον ἀφελόμενον τοῦ Θησέως τὴν παρθένον.* At illud testimonium, cum in descriptione insularum in mari Aegaeo sitarum extet, sine dubio alii auctori debetur[2]) atque quae cum Apollodoro et Pausania de Ariadna a Baccho rapta e compendio Diodorus sumpsit. Praeterea ne accurate

[1]) Cf. Robert, *Eratosth. cat. rel. p. 245.*
[2]) Cf. Bethium in Hermae vol. XXIV p. 441 sq.



quidem summa narrationis illius verbis *ἁρπάζειν* vel *ἀφαιρεῖσθαι* redditur; eo minus crediderim, hoc modo et Diodorum et Apollodorum et Pausaniam illam fuisse coacturos. Immo ipsis Apollodori verbis *Διόνυσος ἥρπασε* tota narratio ab altera Diodori et a tertia scholii plane diversa continetur.

Neque magis conexum, quem verbis *τῷ Ποσειδῶνι θῦσαι* inter Apollodorum plane aliam necandi rationem proferentem et scholium Wagnerus statuit, equidem agnoverim. Quae cum ita sint, discrepantias non amovendas, sed inde explicandas esse arbitror, quod e compendio complures fabulae formas continente suam uterque elegit.

Quod si iure contendimus, de fide subscriptionis *ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ* actum est. Nam ad quam scholii partem eam referamus, si aliae causae desunt, ex arbitrio pendet.

Iam videas initium epitomae, ubi haec leguntur *καὶ εἰς τὸν τρίτον δασμὸν τῷ Μινωταύρῳ συγκαταλέγεται, ὡς δέ τινες λέγουσιν αὐτὸν ἐπέδωκεν* (in fragm. Sabb. *καὶ εἰς τὸν τρίτον δασμὸν τῷ Μινωταύρῳ συγκαταλέγει βοράν* sc. *Θησεύς*). Verbis igitur *ὡς δέ τινες λέγουσιν* e. q. s., si ea, quae de Plutarchi capite XVIII in. supra disputavimus, per se stare possunt, memoria significatur Pherecydis. Verba autem *συγκαταλέγεται* vel *συγκαταλέγει* aut scholii illud *λαχών* cuius narrationem spectent, adhuc latet.

Ad Plutarchum igitur ut ex hoc deverticulo redeamus, nihil afferimus, quo, quis dei monitu Theseum Ariadnam reliquisse primus tradiderit, diiudicari possit. Certum autem Pherecydis vestigium produnt verba (c. XXII) *θάψας δὲ τὸν πατέρα τῷ Ἀπόλλωνι τὴν εὐχὴν ἀπεδίδου τῇ ἑβδόμῃ* e. q. s. propter voti, quod Theseus proficiscens Apollini fecerat, commemorationem. Quibuscum quoniam initium capitis cohaeret, id quoque e Pherecyde sumptum esse probabile fit. En tenemus adminiculum, quo labenti scholiastae auctoritati succurramus. Sed num sufficiat dubito.[1])

[1]) De filo Ariadnae et fuga clandestina Pherecydem narrasse Plut. cap. XIX initio constat. cf. schol. Il. Σ 590, quod praeter compendii

In rebus Creticis continuae narrationis vestigia deteximus, in sequentibus capitibus similia vix frustra quaesiveris, quae enumerare longum est. Unum hoc animadvertas praeter Hellanicum et Pherecydem Herodori Heracleam esse adhibitam. Hunc Wellmannus recepit in catalogum eorum, quos Istri auctores putabat, neque repudiavit Hellanicum (p. 43). Nos autem non iam veremur profiteri, continuam fabulam Theseam, cuius partes a Plutarcho in singulis capitibus Atthidographorum memoriae praemittuntur, e Pherecydis et Hellanici copiis ab Istro esse deprompt am. Praeterea primarios fontes velut carmen aliquod epicum Pherecyde vetustius Istrum ipsum inspexisse e verbis vit. Thes. XXVIII *ἦν γὰρ ὁ τῆς Θησηΐδος ποιητὴς* e. q. s. Wellmannus conclusit.[1]) Sed cum de aetate huius carminis nihil constet, iudicium cohibeo.

A scriptoribus ad artifices transeundum est, quorum opera fabulae aetas certius definiatur.[2])

Sed antea pauca, quae totam expeditionem Creticam spectant, e narratione Plutarchea delibemus. Per totam enim vitam vidimus Theseum id studentem, ut Apollinem propitium sibi reddat. Puer enim Delphis capillum dedicat (c. V), taurum Marathonium Apollini Delphinio immolat (c. XIV), in Cretam profecturus eundem votis sibi devincit (c. XVIII), re perfecta vota solvit (c. XXII).[3]) Quibuscum supra comparavimus, quae Macrobio teste Pherecydes retulit, Thesea, cum in Cretam ad

(Apoll. ep.; schol. λ 322; al.) memoriam habet illam de saltatione relationem, cuius p. 2 adn. 4 rationem habuimus. Quam cui debeat, nescio; sed doctrina videtur ei similis, quam Callimachus hymno in Delum conscripto et Lycophron Alexandrae (de Phemio) intexuit.

[1]) p. 41: *utrique igitur auctori (Apollodoro III 16, 1, 2 et Plut.) auctor (Ister sc.) in manibus erat, qui Theseidem in usum suum convertit.* Spectant haec ad res in Isthmo gestas.

[2]) Obsides ab Atheniensibus in Cretam missi a Sappho et Bacchylide (cf. Serv. ad Virg. Aen. VI 21) commemorati sunt.

[3]) Cf. praeterea XVIII fin. *λέγεται δὲ αὐτῷ τὸν μὲν ἐν Δελφοῖς θεὸν Ἀφροδίτην καθηγεμόνα ποιεῖσθαι καὶ καλεῖν συνέμπορον*; cf. XXI (de aphrodisio Deli dedicato) et Preller-Robert, *Griech. Mythol. p. 348*³.



Minotaurum duceretur, vovisse pro salute atque reditu suo *Ἀπόλλωνι Οὐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι Οὐλίᾳ*. Ac iuvat in memoriam revocare Apollinis imperium, quo Athenienses, ut pestis finis fiat, Minoi tributum quattuordecim iuvenum mittere iubentur (Plut. Thes. 15; Apd. III 15, 7, 3; al.). Apollo autem pestem ut tollit, ita eam fert. Quod in *Οὔλιον* quoque quadrare testantur Suidas s. v. *Οὔλιος ὁ Ἀπόλλων. ἰατρὸς γὰρ ἦν. σημαίνει δὲ καὶ ὀλέθριος* et Strabo XIV p. 635[1]) *Οὔλιον δ' Ἀπόλλωνα καλοῦσί τινα καὶ Δήλιοι, οἷον ὑγιαστικὸν καὶ παιωνικόν . . . καὶ ὁ Ἥλιος δὲ καὶ ἡ Σελήνη συνοικειοῦνται τούτοις, ὅτι τῆς περὶ τοὺς ἀέρας εὐκρασίας αἴτιοι· καὶ τὰ λοιμικὰ δὲ πάθη καὶ τοὺς αὐτομάτους θανάτους τούτοις ἀνάπτουσι τοῖς θεοῖς.*

Ultima Strabonis verba cum legimus, in mentem venit Dianae, quae apud Homerum, cum Ariadnam interficiat, eo quo apud Delios *Οὐλία* munere fungitur (v. s. p. 17).

At quae de Apollinis Dianaeque auxilio a Theseo exoptato Pherecydes refert, fortasse inter illas fabulas habenda sunt, quae ab Atheniensibus Pisistrati aetate eo consilio fictas putant Gilbertus[2]) et Schoefferus[3]), ut Delus antiquitus Attica fuisse videretur.

Sed partes, quas in fabula Thesea Apollo et Diana agunt, antiquissimae sunt. Id vel inde apparet, quod Aegeus, Thesei pater, *ἐν Δελφινίῳ* h. e. in templi consepto habitasse dicitur (Thes. XII), quo Schoemanno[4]) significata videbatur artior quaedam conexio eius stirpis, quae Aegei persona repraesentatur, cum Delphinii Apollinis religionibus. Hae autem neque Atheniensium propriae sunt neque ex Attica oriundae. Omnium Ionum potius venerationem Apollinis Delphinii communem esse diserte dicit Strabo, ubi templum huius dei in arce Massiliae situm commemorat (IV p. 179) eamque ex Euboea in Atticam migrasse

[1]) Cf. Muenzel, *de Apollod. π. θεῶν libro p. 22;* Preller-Rob. l. l. p. 278 adn. 1.

[2]) *Deliaca p. 3—4.*

[3]) *De Deli ins. rebus p. 8* (de saltatione Deli a Theseo instituta).

[4]) In diss. *de Apolline custode Athenarum* (opusc. I p. 397 adn. 83).

Mommsenus[1]) et Wilamowitzius[2]) probabiliter statuerunt. Ac sive illam Abantum sedem sive Parnassum[3]) Delphinii patriam iudices, vide rursus Thesei cum hoc deo conexum, quem prodit Plutarchi narratio (Thes. V) *ἔθους δὲ ὄντος ἔτι τότε τοὺς μεταβαίνοντας ἐκ παίδων ἐλθόντας εἰς Δελφοὺς ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης, ἦλθε μὲν εἰς Δελφοὺς ὁ Θησεὺς καὶ τόπον ἀπ' αὐτοῦ τὴν Θησείαν ἔτι νῦν ὀνομάζεσθαι λέγουσιν, ἐκείρατο δὲ τῆς κεφαλῆς τὸ πρόσθεν μόνον, ὥσπερ Ὅμηρος ἔφη τοὺς Ἄβαντας· καὶ τοῦτο τῆς κουρᾶς τὸ γένος Θησηῒς ὠνομάσθη δι' ἐκεῖνον* e. q. s.

Haec omnia ut eo demum tempore, quo Theseus rei publicae Atheniensium patronus ceteros heroes auctoritate superare coepit, a scriptoribus Atticis eius vel patris personae affixa esse credamus, non video quae ratio cogat. Illa enim, quam Gilbertum secutus Schoefferus protulit, minime sufficit. Agnoscamus igitur necessitudinem, qua Theseum cum Apolline coniunctum videmus, sat antiquam; quam non ab Atheniensibus fictam esse et alia et ea fidem faciunt, quae de Theseo vatis munere fungente supra exposuimus.[4])

Apollineae autem religiones quam arte cum Thesei facinoribus cohaereant, velim memineris cum quas Neptunus in fabula Thesea partes agat, mecum considerabis.

Sed redeamus ad Ariadnam. Quae cur ex Thesei amata Bacchi uxor facta sit, alteram causam comperimus Bacchi amorem, quo, ut Theseum ea privaret, inflammatus est, alteram dei alicuius imperium Bacchique interventum. Quarum illius memoria in litteris haud diu viguisse videtur. Nam nisi eam seduli compendiorum fabricatores e Pherecyde aut Hellanico —

[1]) *Heortologie p. 1.*

[2]) In Herm. vol. XXI p. 105; v. Preller-Rob. l. l. p. 257 4.

[3]) Schoemann l. l. p. 343.

[4]) Haec cum scribo in manus venit doctissima Maassii commentatio, quam *de Lenaeo et Delphinio* conscripsit (Ind. schol. Gryphisw. sem. hib. 1891/92). In qua video virum doctissimum aliunde profectum eandem, quam supra proposuimus, sententiam profitentem verbis: *(Theseus) qui deorum nulli, ne Neptuno quidem, tam est quam Apollini Delphinio similis et coniunctus (p. XVII).*



ut videtur — suis copiis addidissent, nullum aut apud scriptores aut apud poetas vestigium invenires. Neque multo magis artifices ei faverunt.

Nam quod Pausaniae testimonium attinet, qui imaginem in Bacchi templo Athenis pictam describit his verbis (*γεγραμμένη ἐστὶν) Ἀριάδνη δὲ καθεύδουσα καὶ Θησεὺς ἀναγόμενος καὶ Διόνυσος ἥκων ἐς τῆς Ἀριάδνης τὴν ἁρπαγήν* (I 20, 3)[1]) verbum *ἁρπαγήν* non urgendum sed e more, quo, quae de raptu I 22, 5 narrat, saepius descriptionibus Pausanias adnectit (cf. IX 40, 3, X 29, 4), intelligendum est.

Re vera autem rapientem solus notissimi vasis Berolinensis pictor[2]) Bacchum repraesentavit. Ariadnam enim, quae a deo abducitur, non minus quam Theseum, qui a Minerva abire iubetur, invitam vi maiori cedere e gestibus elucet. Secus Jahnius (l. l. p. 277) rem sibi finxit. Sed vereor, ne vir doctissimus ex ipsius animo pauca addens nimis tribuerit artificis consilio. Cuius quamvis pulchrum sit opus atque magnificum, tamen vividiore, ut ita dicam, spiritu caret.[3]) Neque enim inventa videtur imago ab eo, cui debetur, pictore sed expressa e sublimioris generis opere.

Quod si poni licet, altera fabulae forma, qua Bacchus Ariadnam rapit[4]), usque ad finem saeculi sexti vel quinti initium recedit. Pervenimus igitur ad ea tempora, quibus *ἆθλοι* quoque Thesei e tabulis vel picturis parietinis primum, ut videtur, a Chachrylione ad vasa ornanda adhibiti sunt.[5])

Haud multo post paterae Cornetanae, quam supra commemoravimus, ornamentum e Brygi vel hominis arte paris ingenio

[1]) De tempore nil constat. v. praet. Philostr. I 15 (Goethe, *Werke 30 p. 427 f.)* et Longum IV 3. Cf. Jahn, *Arch. Beitr. 287.* Helbig, *Wandgemälde 1234, 1236.*

[2]) v. Furtwaengleri catal. n. 2179, cf. Gerhard, *Etr. u. Camp. Vasenb. VI.*

[3]) Cf. Kekulé, Annali 1880 p. 152 sq.

[4]) de Minerva videbimus infra.

[5]) Cf. Milani, Mus. Ital. di ant. class. III p. 270 sq.

natum est.[1]) Quem, cum Theseum Mercurii iussu ab Ariadna dormiente discedentem pingeret, adventum autem Bacchi pampinis, sub quibus illa iacet, et amoris deo, a quo coronatur, significaret, non tam exemplum pictum quam fabulae memoriam sua sponte reddidisse docet ipsa hilaritate quadam conspersa inventio.[2])

Longe et tempore et arte distat craterae Tuscae imago[3]), quae Ariadnam inter Bacchi thiasum dormientem exhibet.

Haec artis monumenta si cum scriptorum narrationibus comparamus eis, quae supra contra schol. λ 322 subscriptionis fidem protulimus, nova dubitatio succrescit. Neque enim verba *κατολοφυρομένης δὲ τῆς Ἀριάδνης ἡ Ἀφροδίτη ἐπιφανεῖσα θαρρεῖν αὐτῇ παραινεῖ· Διονύσου γὰρ ἔσεσθαι γυναῖκα καὶ εὐκλεῆ γενέσθαι*, quae et ipsa recentiorem aetatem ad frustra amantium lamentationes depingendas propensam sapiunt, signis picturis Pompeianis antiquioribus probantur.[4]) Quod cum casui tribui possit, non magni momenti forsitan quis censeat. Sed illud animadvertas, ea, quae missis illis verbis restant *προσορμίσας δὲ τῇ Δίᾳ νήσῳ ἐκβὰς ἐπὶ τῆς ἠϊόνος μετακοιμᾶται. καὶ αὐτῷ ἡ Ἀθηνᾶ παραστᾶσα κελεύει τὴν Ἀριάδνην ἐᾶν καὶ ἀφικνεῖσθαι εἰς Ἀθήνας. συντόμως δὲ διαναστὰς ποιεῖ τοῦτο . . . [ὅθεν] ὁ θεὸς ἐπιφανεὶς μίσγεται αὐτῇ*, si non in Minervae partibus at certe in summa sicut alteram de raptu relationem monumentis accurate respondere.

---

## IV.

Quoniam de aetate recentioris fabulae formae disseruimus, de ea ipsa paulo accuratius est dicendum.

Atque Homero vel Hesiodo testibus, ne Ariadna coniugio,

[1]) Cf. Duemmler, Bonner Stud. p. 76.
[2]) Cf. Kekulé l. l. p. 152.
[3]) Mon. dell' Inst. X t. 51. Annali 1878 p. 80 sqq. (Furtwaengler).
[4]) Helbig, *Wandgemälde 113, 119, 120, 157, al.*



quod cum Theseo inierat, frueretur, vel praematura mors obstabat vel amati viri perfidia.

Quarum causarum in illa fabulae forma neutra apparuit. Reviviscit autem et Homerica memoria et Hesiodea inde ab Alexandrinorum aetate atque illa quidem cum catasterismo coronae coniuncta velut apud Aratum (v. 71)

*αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκεν*
*σῆμ᾽ ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης,*

perfidiae autem Thesei describendae quantum et operae et ingenii poetae Romani, Alexandrinos nimirum secuti, impenderint, vix est quod moneam. Qui cum Ariadnam de ea querentem faciant, non mirum est, quod quo Theseus excusari possit, dei cuiusdam imperium vel Bacchi vim silentio plane praetereant.[1])

Excusandi studio ei potius vulgo putantur commoti, qui cum primi sive carminibus sive signis Thesei facta celebrarent, id potissimum operam dedisse censentur, ut Atheniensium heroem non solum virtute Herculi similem, sed etiam moribus excellentem depingerent. Sed num eiusmodi consilium ut Hereas Megarensis Pisistrato (v. Plut. Thes. XX) ita nos Pherecydis et Hellanici auctoribus vel vasorum pictoribus iure tribuamus, cum valde dubitem, num alio forte modo Minervae vel Bacchi interventum explicari possit, periculum faciamus.

Atque apud Photium (989 R) e Procli Chrestomathia excerpta de oschophoriorum festo legimus haec

*ὠσχοφορικὰ δὲ μέλη παρ᾽ Ἀθηναίοις ᾔδετο· τοῦ χοροῦ δὲ δύο νεανίαι, κατὰ γυναῖκας ἐστολισμένοι κλῆμα ἀμπέλου κομίζοντες μεστὸν εὐθαλῶν βοτρύων (ἐκάλουν δὲ αὐτὴν ὄσχην, ἀφ᾽ οὗ καὶ τοῖς μέλεσιν ἡ ἐπωνυμία) τῆς ἑορτῆς καθηγοῦντο. ἄρξαι δέ φασι Θησέα πρῶτον τοῦ ἔργου ἐπεὶ ἑκούσιος ὑποστὰς τὸν εἰς Κρήτην πλοῦν ἀπήλλαξε τὴν πατρίδα τῆς κατὰ τὸν δασμὸν συμφορᾶς, χαριστήρια*

[1]) Cf. Ovid. epist. X, art. am. I 527 sqq., fast. III 459 sqq., Catull. LXIV 50 sqq.

ἀποδιδοὺς Ἀθηνᾷ καὶ Διονύσῳ, οἳ αὐτῷ κατὰ τὴν νῆσον τὴν Δίαν ἐφάνησαν, ἔπραττε τοῦτο e. q. s.

Contra Plutarchus (Thes. XVIII), ubi Demonem secutus de oschophoriis agit, hanc moris causam profert Φέρουσι δὲ (ὄσχους sc.) Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαριζόμενοι διὰ τὸν μῦθον, ἢ μᾶλλον ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον.

Ex hac Procli et Plutarchi dissensione haud leves nobis oboriuntur difficultates. Collegit enim Robertus (in Prelleri Myth. Gr. p. 208 adn. 1) e Plutarchi verbis haec: *Die hier befolgte Version kann also weder die Entführung noch das Verlassen der Ariadne kennen. Es ist dieselbe, die bei Epimenides (Erat. Cat. 66 p. 241 R) erzählt war und im Hippolytus des Euripides vorausgesetzt wird. vgl. M. Mayer. De Eurip. mythop. Berol. 1883. p. 64.*

Hanc viri doctissimi conclusionem ne nostram faciamus, complures obstant dubitationes. Quarum quamquam gravissimae ex ipsa auctorum dissensione nascuntur paucisque verbis exponi possunt, tamen paulo longius disputatio repetenda est. Atque materiam ita disponimus, ut primum, quando et ubi Ariadna immortalis Bacchi coniux sit habita, quaeramus, deinde Ariadnam Athenis una cum Baccho aliquando cultam esse num sit verisimile, postremo quomodo Plutarchi Proclique testimonia conciliemus.

Atque primum in censum vocandi sunt versus Hesiodei (Theog. 947 sqq.)

χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην,
κούρην Μίνωος, θαλερὴν ποιήσατ᾽ ἄκοιτιν.
τὴν δέ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων,

qui Kantero (De Ariadne p. 7) ad antiquissimam Bacchi et Ariadnae coniunctionem probandam maxime visi sunt idonei. Qui cum auctoritatem eorum scholio ad v. 943 adscripto ἀθετοῦνται ἐφεξῆς στίχοι ἐννέα· τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν γενεαλογεῖν αὐτῷ πρόκειται infirmatam videret, inter varias, quae de scholio prolatae sunt, sententias optimam eam censuit, qua illi



servantur. Hermanno enim [1]) et Schoemanno [2]) assentitur, qui in scholio pro θ' numero scribendum esse β' rati duos tantum versus 943 sq. secludebant. Sed cur eorum sententia ceteris praeferenda sit, plane tacetur. Cum eis igitur solis nobis res erit, qui causis sententiam defenderunt. Sed ne in singulis coniecturis enumerandis et refutandis longus sim, ea, quae ut scholiastae rationes enuclearent viri doctissimi moliti sunt, separata volo a iudicio de ipsis versibus Hesiodeis ferendo.

Has ubi res plane diversas sed eas quidem, quantum video, adhuc commixtas segregavimus, ne nos quidem in Hermanni et Schoemanni sententiam cedere dubitamus verba τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν γενεαλογεῖν αὐτῷ πρόκειται non nisi ad vss. 943 sq. quadrare censentium. Nam quae causa a scholiasta affertur, eos tantum hoc loco commemorari, qui utrosque parentes deos habeant, haec Herculem solum excludit, cuius mater mortalis fuit, ne post mortem quidem, id quod Semelae contigit, inter deas recepta (Schoem. op. II 532).

Proclive autem erat in versibus illis offendere, quod praecedunt diserte dicta haec νῦν δ᾽ ἀμφότεροι θεοί εἰσιν (v. 942). Praeterea ad sequentes quoque versus, quod poeta in eis non γενεαλογεῖ i. e. non liberos afferat, verba illa spectare, e γενεαλογεῖν verbo, quo scholiasta utitur, non cum Flachio, qui Schoemanno oblocutus est [3]), concluserim. Nam hoc verbo nil nisi quod poeta antea fecerat brevi comprehenditur.

Sed numerum θ', qui sine dubio corruptus est, in β' ut mutem animum inducere nequeo. Nam qui primus obelum versibus 943 sqq. affixit, quibus causis commotus sit, nescimus; aut quo iure scholiastae rationem τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων e. q. s. ab illo ipso profectam esse statuimus? Potuit ille quidem etiam in sequentibus versibus offendere ea ipsa de

---

[1]) Zimmermannsche Schulzeitung 1833 p. 926.

[2]) *Opp. acad. II 55 adn. 88, 422 sqq., 496, 532, edit. theog. p. 269 sqq.*

[3]) *Glossen u. Scholien z. Hesiod. Theog. p. 107 sqq.*

causa, quam Flachius in verbis scholiastae deprendisse sibi visus est.[1])

Sed iam transgressum me video a levi de numero quaestione ad graviorem de toto, quibus coniugia deorum narrantur, versuum conexu.

Inde enim a v. 886 enumerantur Iovis uxores, quae vel ipsae Titaniae sunt (Themis, Mnemosyne) vel e Titanibus ortae (Metis, Eurynome, Latona, Ceres, Iuno) earumque liberi. His accedunt Minerva, quam Iupiter, et Vulcanus, quem Iuno sine concubitu procreaverunt. Transit deinde poeta ad Iovis fratrem Neptunum, qui ex Amphitrite Tritona genuit.

Hucusque certo ordine seriem eorum coniugiorum deduci apparet, quae dei Titanii cum deabus Titaniis inierunt. Plane eiusdem generis est Solis cum Perseide connubium, quod tamen cetera non continuo excipit sed longiore intervallo ab eis distat (v. 955 sqq.).

Iam examinemus ea, quae interposita sunt.

Quae v. 938 nominatur, Maia, Mercurii ex Iove mater, quod non a poeta in numerum ceterarum Iovis uxorum supra recepta sit, primo obtutu miramur. Qua de re Schoemannus (l. l. II 49 sqq.) iudicat, Maiam, Atlantis filiam, Iapeti neptim, minoris sine dubio dignitatis inferiorisque loci visam esse, quam illas, quae ante Iunonem Iovi nupsissent, ut Maiam quidem pellicem eius haberi sine iniuria liceret, illas autem maiorum gentium deas necesse esset uxores legitimas, quamquam mox dimissas credi. Sed his virum doctissimum rem acu tetigisse persuadere mihi non possum. Verum ipse alio loco (p. 496) animadvertit, v. 938 matrem Mercurii Maiam, Atlantis filiam, esse nos audire, de nuptiis autem Atlantis et quos ille liberos genuerit, nihil nec antea (509 sqq.), cum de eius ortu referretur, nos accepisse neque nunc saltem, quae mater Maiae fuerit nos audire, contra quam alias in theogonia fieri solitum sit. Adde

---

[1]) Cf. praeterea verbum *ἐφεξῆς*, quod ad complures versus spectare videtur.



quod ne ceterae quidem, quae vulgo Atlantis filiae nominantur, mulieres a theogoniae auctore memorantur praeter unam Electram, quae tamen Oceani filia est. Quarum nomina primum occurrunt in carmine, quod Hesiodi nomine ferebatur *Astronomia* inscriptum, ad quod Marckscheffelii coniectura admodum probabili referendi sunt hi versus (fr. 12 Rz.)

*Τηϋγέτη δέ ἐρόεσσα καὶ Ἠλέκτρη κυανῶπις*
*Ἀλκυόνη τε καὶ Ἀστερόπη δίη τε Κελαινώ*
*Μαῖά τε καὶ Μερόπη, τὰς γείνατο φαίδιμος Ἄτλας*

laudat hos scholiasta ad Pind. Nem. II 16 hunc in modum *ζητεῖται δὲ διὰ τί ὀρείας εἶπε τὰς Πλειάδας καί τινες μὲν ἔφασαν, ὅτι νύμφαι ἦσαν ὡς οἱ ἀσ τέρες οὗτοι· ‘Τηϋγέτη . . Ἄτλας’* atque paulo infra addit (fr. 13 Rz ) *Σιμωνίδης δὲ μίαν τῶν Πλειάδων Μαῖαν ὀρείαν προσηγόρευσεν εἰπών· Μαιάδος οὐρείας ἑλικοβλεφάρου· κατὰ λόγον· αὕτη γὰρ*

*Κυλλήνης ἐν ὄρεσσι θεῶν κήρυκα τέχ' Ἑρμῆν.*[1])

Oreadum initio fuisse nomina, quibus Pleiadum VII stellas postea significabant, scholiastae *τινές* recte perspexisse videntur. Rursus e versu Hesiodeo (opp. 383) *Πληιάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων* singularum nomina iam Hesiodo fuisse nota colligi nequit. Carmen autem illud astronomicum aliquanto post Hesiodi tempora, sed priusquam rerum caelestium ars atque cognitio a prioribus physicis Ionicis admodum aucta in vulgarem pervenisset notitiam, conditum esse evicit Franzius (l. l.).

Atqui nympharum illarum ne Maia quidem Atlantis filia traditur ante saeculum quintum.[2])

Ergo si Schoemanni offensionem assumis, valde dubium videtur, num Maiae commemoratio ab eodem, qui coniugiorum illorum seriem componeret, poeta profecta sit.

---

[1]) Qui versus cur ad carmen astronomicum Hesiodeum trahatur, non satis causae esse putat Franzius, qui in epimetro ad dissertationem *De Callistus fabula* conscriptam (Leipz. Stud. XII 1890) addito (p. 348) argumentum et tempus carminis illius docte definivit.

[2]) Primus testis Simonides ap. Athen. XI 80; in hymn. Hom. III 4 *νύμφη ἐϋπλόκαμος* audit.

Idem valet in proximos quinque versus, quorum memoria hausta videtur e catalogo mulierum mortalium a deis adamatarum, cuius initium in theogoniae fine fortasse extat (cf. Schoemann. II 377). Quos versus molestos esse, si consilium poetae in enumerandis coniugiis perspeximus, facile tibi persuaseris. Accedit, quod, ubi missos eos fecimus, ea quae sequuntur, optime excipiunt matrimonium Martis Venerisque. Id quod Schoemannus sensit, cum (p. 496) diceret, Vulcani cum Aglaia nuptias non commode inter Dionysi et Herculis natalia et matrimonia interponi: nam rectius sine dubio fuisse, eas statim post Martis cum Venere nuptias et progeniem collocari (v. 936), ita ut et frater fratrem eadem matre natum continuo sequeretur, et Dionysi itemque Herculis natalibus etiam matrimonia eorum subiungerentur. Dixerit quispiam ne Martis quidem cum Venere matrimonium consilio poetae, quale cognovimus, respondere. Video; sed cum Martis commemoratio ab eis, quae antecedunt, divelli nequeat, puto poetam, postquam summorum deorum, Iovis fratrisque, coniugia protulit, celeberrimorum statim Iovis Iunonisque filiorum amores addidisse, fortasse ea de causa, quod Mars Venerem, quae ipso natu Titanis erat, Vulcanus autem Aglaiam, Iovis filiam, ab ipso poeta supra commemoratam in matrimonium duxit. Eodem fere argumento eos, qui Herculis Hebaeque matrimonium continent, versus defendi licet, cum Hebe inter Iovis Iunonisque liberos supra occurrat, praeterea Herculis facinorum memoria in theogonia non ita sit rara; cf. et alios locos et hos versus (529 sqq.)

*οὐκ ἀέκητι Ζηνὸς Ὀλυμπίου ὑψιμέδοντος,*
*ὄφρ' Ἡρακλῆος Θηβαγενέος κλέος εἴη*
*πλεῖον ἔτ' ἢ τὸ πάροιθεν ἐπὶ χθόνα πουλυβότειραν.*
*ταῦτά γ' ἄρ' ἀζόμενος τίμα ἀριδείκετον υἱόν·*

Poeta igitur, quod a via deflexit, excusatione non caret, si modo verisimile est, eorum Iovis Iunonisque liberorum, qui e catalogo nuptiarum aut, quod Herculem attinet, e ceteris theogoniae partibus nobis iam innotuerunt, nuptias olim continuo se excepisse.



Contra fugit me plane consilium eius, qui hanc theogoniae partem composuit, si quis vel supra Maiae, Semelae, Alcumenae nuptias vel hoc loco Bacchi cum Ariadna matrimonium vel utrumque, ubi legitur, initio sedem habuisse putaverit. Neque enim modo Jovis filius a theogoniae auctore Bacchus alibi non audit, sed ne in numero quidem deorum Olympum incolentium, licet vini donator nonnullis carminum Hesiodeorum locis appelletur (opp. 614, scut. 400), a poetis Homericis vel Hesiodeis habetur.[1]

Jam si versus 947—49 ipsos spectamus, cum poeta in describendis ceteris nuptiis studiose sermonem variet, hi sese excipiunt eadem clausula

*Ἀγλαΐην δ' Ἥφαιστος, ἀγακλυτὸς ἀμφιγυήεις,*
*ὁπλοτάτην Χαρίτων θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.*
*χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην*
*κούρην Μίνωος, θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.*

Praeterea de Bacchi nuptiis memoriam

*χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην*
*κούρην Μίνωος, θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.*
*τὴν δέ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων*

conferas cum altera, quae supra est de natalibus

*Καδμείη δ' ἄρα οἱ Σεμέλη τέκε φαίδιμον υἱὸν*
*μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι Διώνυσον πολυγήθεα,*
*ἀθάνατον θνητή· νῦν δ' ἀμφότεροι θεοί εἰσιν,*

iam deprehendes studium et origine Bacchum et nuptiis eis, qui Olympum obtinent, deis aequandi ita expressum, ut fere concinna extiterit oratio; quare dubium vix est, quin utraque ab eodem homine sit profecta, praesertim cum comparatis proximis versibus

*Ἀλκμήνη δ' ἄρ' ἔτικτε βίην Ἡρακληείην*
*μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι Διὸς νεφεληγερέταο*

idem, quem supra vituperavimus, sermonis languor offendat

---

[1]) Cf. Nitzsch, *Anm. z. Od. 3, 42.* Lobeck, *Aglaoph. p. 284.* Naegelsbach, *Homer. Theol.*[2] *p. 115.*

repetitis verbis *μιχθεῖς᾽ ἐν φιλότητι*. Porro tres versus *Καδμείη δ᾽ ἄρα οἱ Σεμέλη* e. q. s. non nisi cum duobus, qui antecedunt, coniuncti stare possunt. Atqui illi ipsi pluribus causis suspicionem de genuina origine moverunt; additi autem videntur, quod Mercurii inter Jovis filios memoria desiderabatur. Nec dubito simili causa commotum putare, sive idem fuit sive alius, qui sex de Baccho versus interponeret. Quo munere etsi non ita eleganter functus est, tamen illud sensisse videtur a poeta seriem eorum deduci, qui et patre deo et matre dea nati essent. Hoc plane neglexit, qui versus *᾿Αλκμήνη δ᾽ ἄρ᾽ ἔτικτε* e. q. s. addidit; studebat is enim hoc solum, ut, quod Martis Vulcanique e Jove et Junone originem supra compererat neque Hebae potius quam Herculis causa coniugium adnecti intelligebat, Herculis quoque originem quamvis notam ex antecedentibus theogoniae partibus accuratius definiret.

Quae cum ita sint, versus 947—49 ad probandam antiquissimam Bacchi cum Ariadna coniunctionem minime videntur idonei. Nam primum quo tempore confecti sint, etsi nescimus, tamen recentioris certe aetatis sunt, quam ceterae theogoniae partes; deinde diiudicari nequit, utrum qui eos composuit, verba

*τὴν δέ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων*

solo, quod supra illustravimus, concinnitatis studio commotus addiderit, an vulgarem aliquam aequalium, qua Ariadna immortalis Bacchi coniux habebatur, opinionem significaverit. Denique quis refutabit eum, qui ex ipsis verbis

*κούρην Μίνωος ξανθὴν ποιήσατ᾽ ἄκοιτιν*

concluserit, spectare haec ad heroida Ariadnam a Theseo Naxi relictam i. e. ad recentiorem fabulae formam?

Ab Hesiodo ad Hyginum delabimur: huius enim testimonio Kanterus usus est, ut antiquum Bacchi et Ariadnae communem cultum in Creta insula statueret. Atque legimus in Hygini Astr. II 5 (schol. Arat. Germ. B. P. p. 61, 17; G. p. 119, 23; v. Erat. Cat. R. pag. 66) haec *Sed ut ait qui Cretica conscripsit, quo tempore Liber ad Minoa venit cogitans Ariadnen comprimere, hanc coronam ei pro munere dedit, qua de-*



*lectata non recusavit condicionem.* Hanc narrationem Robertus (pp. 8 et 241) retulit ad librum de rebus Creticis conscriptum, qui in Erat. cat. p. 148 verbis *᾿Επιμηνίδης ὁ τὰ Κρητικὰ ἱστορῶν* in usum vocatur. Hunc a falsario videlicet compositum (v. Rob. p. 251), qui Epimenidis nomen ementitus est, eundem esse librum statuit, quem Diodorus in rebus Creticis enarrandis (V 64-80) praeter Dosiadis, Sosicratis, Laosthenidae opera adprime consuluerit. Nam cum Diodorus verbis (V 79, 1) *Οἰνοπίωνι δὲ τῷ ᾿Αριάδνης τῆς Μίνω Χίον ἐγχειρίσαι φασίν (τὸν ῾Ραδάμανθυν), ὃν ἔνιοι μυθολογοῦσι Διονύσου γενόμενον μαθεῖν παρὰ τοῦ πατρὸς τὰ περὶ τὴν οἰνοποιίαν* Oenopionem Bacchi et Ariadnae filium commemoret, par esse in eo, quem exscriberet, libro Bacchi Ariadnaeque amores enarratos fuisse. Sed hoc minus probabile putaverim. Primum enim narrationis Diodoreae conexus non ita comparatus videtur, ut eo, quo Robertus vult, loco nuptias illas narratas fuisse sit verisimile, deinde si in fonte Diodorum re vera legisse fingimus Bacchum in ipsa insula Creta Ariadnam adamasse, cur formula *ὃν ἔνιοι μυθολογοῦσιν* — quae compendium prodit — usus est? Praeterea admodum certa Pseudo-Epimenidis vestigia solis in capp. 66-77 apparent; hausta enim ea esse e theogonia in Hesiodi exemplum composita et Epimenidis nomine exornata Bethius demonstravit (Herm. XXIV p. 402 sqq.). Communem igitur fontem fuisse Hygini (i. e. Erat. cat.) et Diodori (V 79) persuadere mihi nequeo. Pseudo-Epimenidis autem, qui fertur, liber de rebus Creticis in catasterismis adhibitus, cum, qua auctoritate nitatur, plane obscurum sit, nil obstat quominus, quae de Bacchi Ariadnaeque nuptiis Creticis apud Hyginum legimus, merum scriptoris alicuius rerum Cretensium commentum putemus. Atque Alexandriae fortasse natum est, ubi reges e Ptolemaei gente ortos Bacchum imprimis summis honoribus coluisse notum est. E quo ut gens deducebatur, ita tribus urbis nominibus e Bacchi familia sumptis inde a Ptolemaeo Philopatore rege appellabantur: cf. Theophil. ad Autol. IX, 7; de quo vide Meinekium in Anall. Al. p. 345 sqq., qui verba corruptissima sic constituit (p. 346) *ἡ μὲν οὖν πρὸς*

Διόνυσον τοῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βασιλεύσασι συγγένεια οὕτω πως ἔχει. ὅθεν καὶ τὰς προσωνυμίας ἔχουσιν αἱ κατ' αὐτοὺς φυλαί, Ἀλθαῒς ἀπὸ τῆς γενομένης γυναικὸς Διονύσου, θυγατρὸς δὲ Θεστίου, Ἀλθαίας, Δηϊανειρὶς ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Διονύσου καὶ Ἀλθαίας, γυναικὸς δὲ Ἡρακλέους, Ἀριαδνὶς ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Μίνω, γυναικὸς δὲ Διονύσου, παιδὸς πατροφίλας,[1]) τῆς μιχθείσης Διονύσῳ ἐν ὀροφῇ πρυμναίᾳ (de ὀροφῇ cf. Lobeck. Agl. p. 281 annot. u.) Θεστὶς ἀπὸ Θεστίου τοῦ Ἀλθαίας πατρός, Θοαντὶς ἀπὸ Θόαντος παιδὸς Διονύσου, Εὐνεῒς ἀπὸ Εὔνεω υἱοῦ Διονύσου, Μαρωνὶς ἀπὸ Μάρωνος υἱοῦ Ἀριάδνης καὶ Διωνύσου.

At Euripidi, cum Hippolyti fabulae vs. 339 scriberet

σύ τ', ὦ τάλαιν' ὅμαιμε, Διονύσου δάμαρ,

ut Robertus putat, ea fabulae forma obversata est, qua Ariadnam neque e Creta a Theseo raptam neque Naxi relictam esse narraretur.

Sed iterum alia mihi in hac disquisitione ineunda est ratio quam quae viro doctissimo placuit. Age iam caute pedem proferamus.

Atque Phaedra nutrici acriter instanti, ut quo laboret, animi morbum aperiat, denique obsecutura, cum ne amorem diserte fateatur pudor obstet, orationem a matris sororisque fatis suo ipsius nimirum simillimis incipit hoc modo (v. 337)

Φ. ὦ τλῆμον, οἷον, μῆτερ, ἠράσθης ἔρον,
Τ. ὃν ἔσχε ταύρου, τέκνον, ἢ τί φῂς τόδε;
Φ. σύ τ', ὦ τάλαιν' ὅμαιμε, Διονύσου δάμαρ,
Τ. τέκνον, τί πάσχεις, συγγόνους κακορροθεῖς;
Φ. τρίτη δ' ἐγὼ δύστηνος ὡς ἀπόλλυμαι.
Τ. ἔκ τοι πέπληγμαι· ποῖ προβήσεται λόγος;
Φ. ἐκεῖθεν ἡμεῖς, οὐ νεωστὶ δυστυχεῖς.[2])

Haec hactenus. Patet enim a Phaedra, ne ipsa amorem profiteatur, fata matris et sororis proferri, quippe quae quo

---

[1]) Consulto haec vulgatae fabulae (qua Ariadna Thesei causa patri nocuisse traditur), ut Bacchi coniux culpa liberaretur, opposita videntur esse.

[2]) Simillimus est sententiarum ordo in Ovid. epist. IV 55 sqq. cf. Senecae Phaedr. 663 sqq.; v. Mayer, *De Euripidis mythopoeia p. 65 sqq.*



ipsa laboret, in calamitatem raptae sint, ingenti amore. Hoc Pasiphae, ut naturae leges perfringeret, Ariadna autem, ut patrem fratremque proderet, vehementer incitata est. Quarum haec praeterea amorem in perfido homine perdidit; quare iure de ea quaeritur Phaedra

σύ τ', ὦ τάλαιν' ὅμαιμε,

iam quae adduntur Διονύσου δάμαρ i. e. quae Bacchi uxor facta est, ea sine dubio spectant ad Thesei ab insula Naxo fugam, qua Baccho Ariadna committitur. Nam etsi negari nequit, apud poetas Romanos tristitiam Ariadnae levatam videri honore, quo a deo afficitur, tamen in eo, quem apposuimus, conexu, ubi Phaedra morbum totius domus Minoidis proprium depingit, verba Διονύσου δάμαρ adeo non nuptiarum laetarum, in quibus describendis illi multi sunt, imaginem animo offerunt, ut solam calamitatem, qua Ariadna poenam nimiae cupiditatis luit, in memoriam revocent. Loquendi autem brevitas (Διονύσου δάμαρ) ratione singulorum versuum sese excipientium facile excusatur.

Ad Homericam vero memoriam

ἦγε μὲν οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσιν

provocare, quod Mayero (l. l.) placuit, lubricum est. Immo ratione ac via nos progredi puto, cum versum Euripideum e sententiarum conexu intelligimus adhibita ea fabulae forma, quae poetae temporibus et apud scriptores et apud artifices florebat, versum autem illum Homericum procul habemus. Neque enim de sensu eius satis constare supra vidimus.

Quae si recte disputavimus, in difficili quoque de Thesei fabulae Euripideae argumenti quaestione a Roberti sagaci invento[1]) ad Welckeri[2]) et Jahnii (Arch. Beitr. p. 252 sqq.) sententiam regrediendum est. Nam cum constet summam Euripidis artem in animis describendis amore agitatis versari,

---

[1]) v. Herm. XV 483 et Archaeol. Jahrb. IV Anz. p. 142 sq .

[2]) *Griech. Trag. II p. 733 sqq.*

deinde Phaedrae verba *σύ τ᾽. ὦ τάλαιν᾽ ὅμαιμε* e. q. s. nil nisi infelicis sororis amorem spectent, versus autem

*ὦ τλῆμον, οἷον, μῆτερ, ἠράσθης ἔρον,*
*ὃν ἔσχε ταύρου, τέκνον, ἢ τί φῂς τόδε;*

ad *Κρῆτες* fabulam referendi videantur, num credibile est, in Theseo fabula, cuius in Creta scenam, Minotauri autem cladem argumentum fuisse e fragmentis (Nauck[2] p. 477 sqq.) apparet, non Ariadnae amorem sed aliam causam, qua Theseus servaretur, ab Euripide esse prolatam?[1])

Sed ut redeat, unde deflexit, disputatio[2]), quoniam neque theogoniae, neque Euripidis neque Hygini testimonio Bacchi antiquissimam cum dea Ariadna coniunctionem probatam vidimus, iam circumspiciamus, num quis aliis causis ante eam vel eadem aetate, qua Theseum cum Ariadna consociatum novimus, hanc Bacchi coniugem vulgo habitam esse possit demonstrare. Quam ad opinionem confirmandam vereor, ne artis imprimis signa, quibus Bacchi Ariadnaeque amores repraesentantur, multum valuerint. Quare quid ex his discamus, primum videamus.

Atque consentaneum est primum ea, quae supra contulimus, vel eiusdem generis monumenta respici. In arca enim Cypseli auctor Pausaniae Bacchum repraesentatum vidit, quem describit his verbis *Διόνυσος δὲ ἐν ἄντρῳ κατακείμενος, γένεια ἔχων καὶ ἔκπωμα χρυσοῦν, ἐνδεδυκώς ἐστι ποδήρη χιτῶνα· δένδρα δὲ ἄμπελοι περὶ αὐτὸ καὶ μηλέαι τε εἰσὶ καὶ ῥοιαί.* (V 19, 6.) Quacum imagine ubi ceteras comparaveris, unum inter omnes deos et heroas Bacchum muliere carentem animadvertes.[3]) Solum eundem in vase Clitiae et Ergotimi conspicimus amphoram ferentem[4]) in choro deorum Pelei et Thetidis

[1]) cf. Wilamowitz, *Euripides Hippolytos p. 44.*
[2]) De fabula Euripidea v. infra.
[3]) cf. coniugia illa, quae supra p. 8 significavimus.
[4]) cf. Od. ω 72 sqq.

*ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λεύκ᾽ ὀστέ᾽, Ἀχιλλεῦ,*
*οἴνῳ ἐν ἀκρήτῳ καὶ ἀλείφατι· δῶκε δὲ μήτηρ*
*χρύσεον ἀμφιφορῆα· Διωνύσοιο δὲ δῶρον*
*φάσκ᾽ ἔμεναι, ἔργον δὲ περικλυτοῦ Ἡφαίστοιο.*



nuptias agentium, quorum cum sua quisque coniuge vel matre copulatus est.

Unde tamquam e silentio concludi possit neque arcae neque vasis auctoribus certam Bacchi coniugem fuisse notam. At obvertat quispiam, quod Theseus cum Ariadna in utroque adesset, illos consulto deum solum depinxisse.

Sed quomodo factum est, ut artifex Jonicus, qui vas Virceburgi asservatum[1]) nigris figuris ornavit, et Phineo eiusque coniugi et Boreadibus et Harpyis et Baccho nomina apponeret, mulierem autem, quae una cum deo curru vehitur, significare supersederet? Respondere in promptu est. Mulier enim illa, cum sicut Sileni et Nymphae nomine careat, eiusdem ordinis i. e. una e thiaso habeatur necesse est.

Certius fortasse definire contingit eam mulierem, quae cum Baccho aut solo aut inter Silenos Maenadasque aut inter deos caelestes posito in tot vasis nigris figuris exornatis apparet, ut exempla, quicunque haec legit, multa ei praesto esse arbitrer. Quorum in nullo, quantum scio, Ariadnae nomen invenitur, in paucis autem feminae illi *Σεμέλη* aut *Θυώνη* nomen adscriptum est. Velut in hydria Florentina[2]) et alii dei nuptias Pelei et Thetidis sicut in vase Clitiae celebrantes nominibus significantur et Bacchus (*ΔΙΟΝΥΣΟΣ*) et Thyone (*ΘΥΟΝΕ*). Ac iuvat e descriptione Koertii adnotare haec: *il disegno del vaso è accuratissimo, severo si, ma molta diverso da quella convenzionale rigidezza dei vasi communi a figure nere; si avvicina piuttosto a quello del celebre vaso Francois, con cui ha commune pure il soggetto principale, mentre ne differiscono la tecnica perfezionata, l'argilla finissima di un bel colore rosso e la vernice nera e lucente. Abbiamo certamente da fare con*

[1]) cf. Duhn, Heidelberger Festschrift etc. 1882 p. 104 sqq. Urlichs, *Verzeichnis der Antikensamml. der Universität Würzburg* Nr. 354 et eundem, *Beitr. z. Kunstgesch. Leipz. 1885 p. 30.* Mon. dell' Inst. X t. 8 Annali XLVI (1874) p. 177 sqq. (Flasch.)

[2]) Annali XLIX (1877) p. 179 sqq. (Koerte.) Heydemann, *3. Hall. Winckelmannspr. (1878) p. 88 n. 26; ib. 5. (1880) p. 24 h.*

*un lavoro originale dell' epoca più bella della pittura vascolare a figure nere in Atene, e secondo la forma delle lettere (specialmente del θ) dobbiamo ascriverlo al principio del quinto secolo a. Chr.* [1])

Itaque cum et re et picturae genere hydria Florentina cum vase Clitiae aliquatenus congruat, nescio an iure Heydemannus sicut in hoc Mercurium cum Maia matre ita in illa Bacchum cum matre, quae apud Pindarum (Pyth. III 175), in hymno Hom. 34, 21, alibi Thyone audit,[2]) consociatum esse coniecerit.

Sed dubitabat ipse vir doctissimus, nonne potius nomen *Θυώνη* e magno numero — quem ipse l. l. (V p. 11 sqq.) componebat — nominum Bacchicorum sine consilio a pictore sumptum putaret.[3]) Quod etsi fieri potuisse nemo negaverit, tamen, ubicunque Thyone conspicitur, aliquo modo a ceteris thiasi personis distincta est. Velut in vase ab Heydemanno ipso delineatione addita l. l. p. 1 sqq. illustrato Thyone, quae ad caput Bacchi consedit, plane eodem habitu inter Bacchas, quali in vase eiusdem artis temporisque[4]) Neptuni mulier, Amphitrite, inter Nereidas eminet. Conferas praeterea amphoram rubris figuris ornatam apud Jahn, *Vasenbilder* $III_3$ (Heydem. p. 20 V [P]) et eiusdem generis amphoram ap. De Witte, *descript. de vases peints. 1837 n. 43* (Heydem. p. 29 y [q]). In utraque Thyone ex aliis figuris eminet; in illa, quod cum Baccho colloquitur,[5]) in hac, quod sola inter

[1]) Haec temporis definitio anno 1879 data nunc iam stare nequit; ad medium potius saeculum sextum vas referendum videtur.

[2]) cf. Welckerum in mus. Rhen. vol. I. (1833) p. 432 sqq.

[3]) *Θυώνη* Bacchi nutrix ap. Panyassim (Ep. gr. frg. Kink p. 255,5) et Hyg. Astr. II 21 (Pherecydes).

[4]) Mon. dell' Inst. Suppl. t. XXI; cf. Mus. Ital. di ant. class. III tab. 1.

[5]) Quae praeterea adest *Διώνη* et ipsa Bacchi mater habebatur. cf. schol. Pind. Pyth. III 177 = Eurip. Antigon. fr. 177 (tragg. graec. frgm. N. [2] p. 410); eadém in schol. Il. XVIII 486 una Nympharum Dodonidum habetur (sicut Thyone apud Hyg. l. l.) cf. Schoemann op. II p. 152 n. et Heydem. p. 39 adn. 212; p. 17 *P*; p. 20 X.



duas Maenadas (*ΜΑΙΝΑΣ* et *μαΙΝΑΣ*) nomine notata est (*ΙΘΥΩΝΗ* sic).

Quodsi etiam eo tempore, quo Bacchum Maenadibus circumdatum saepissime novimus (cf. Heydemanni catalogum), Thyone alius ac ceterae dei comites generis habenda est, nonne concesseris, qui in hydria Florentina ornamentum vaso Clitiae simile posuit, eum nomine *Θυώνη* non Baccham sed ut ceteris inscriptionibus certam aliquam deam i. e. Bacchi matrem significasse?

Semelam autem vasis Berolinensis (n. 1904)[1]) auctor Baccho in quadrigam ascensuro addidit et nomine *ΣΕΜΕΛΕ* negligenter scripto signavit. Aeque in patera Neapoli servata[2]) Bacchi Semelaeque capita iuxta posita sunt.

Itaque aut Furtwaengleri, qui in catalogo Berolinensi Semelae nomine ad interpretandam illam Bacchi comitem utitur, rationem nostram faciamus aut Thyonen illam nominemus. Ac ne hoc quidem multum refert, utrum matrem potius ipsam quam Baccham eius nomine appellatam eam intelligamus; dummodo Ariadna mittatur, cuius i. e. Bacchi coniugis in arte nec vola nec vestigium ante saeculi sexti finem extet. Quin etiam dubium videtur, an illis iam temporibus non certa aliqua coniux Baccho fabulis consociata pictoribus innotuerit.

Raro praeterea, postquam fabula Ariadnaea carminibus et signis vulgata est, i. e. inde a saeculo quinto, in thiaso Ariadnam nomine signatam invenimus.[3]) Ac ne hoc quidem constat, mulierem, cui nomen inditum est, Ariadnam illam, de qua quaerimus, necessario esse putandam. Inter deos semel cum Bac-

[1]) Gerhard, *Etrusk. u. Camp. Vasenb. t. 45.*

[2]) Catal. Heydem. Mus. S. Ang. n. 172, cf. Bullet. Nap. N. S. VI t. 13. Gerhard, *Ges. Abhandl. T. 68, 1, 2.*

[3]) Cf. vasa 1) Louvre, Gerhard, *Auserl. Vasenb. T. 56, 2* (***ΤΡΑΓΟΙΔΙΑ, ΔΙΟΝΥΣΟΣ ΚΟΜΟΣ ΑΡΙΑΔΝΕ***) — 2) Ubi? Cf. Wernicke, *Die griech. Vasen m. Lieblingsnamen p. 5, 3.* Arch. Zeitg. 1866 p. 184 * (Gerh.) (***ΔΙΟΝΙΣΟΣ ΚΑΛΟΣ ΑΡΙΑΓΝΕ***). — 3) Palermo, Mon. dell' Inst. II t. 17. Mercurius tradit Bacchum puerum Ariagnae; cf. Heydem. l. l. p. 14 *E (H)* adn. 50 (***ΗΕΡΜΕΣ ΔΙΟΝΥΣΟΣ ΑΡΙΑΓΝΕ*** [cf. Berol. catal. n. 1698]).

cho coniuncta apparet in pulcherrima patera Attica, quae deorum convivium exhibet.[1])

Nullum igitur neque litterarum neque artis testimonium deprehendimus, quo Ariadnam deam Creticam inde ab antiquissimis temporibus Bacchi uxorem creditam esse probetur. Immo fabula, quae de Thesei perfidia et Bacchi amore saeculo sexto exeunte, quantum e signis concludi licet, vulgari coepit, certa dei illius Ariadnaeque coniugii testimonia aetate antecedit. Quare ut nil impedit, ne haec ex illa pendere statuamus, ita credi vix potest fabulam ipsam commenticiam esse. Neque enim nata esset, nisi re vera alicubi opinione hominum Ariadna cum Baccho amoris vel alio vinculo fuisset coniuncta.

Atque utriusque numinis sedem novimus insulam Naxum. Quae cum Bacchi imprimis cultu esset celeberrima (cf. Engel, *Quaest. Nax. p. 18 sqq.)*, alii hanc, a poetis et mythographis vetustiore nomine saepe Diam appellatam, alii Diam insulam, quippe quae haud ita procul a Creta sita esset in conspectu litoris Gnosii, fabulae Ariadnaeae patriam iudicaverunt.[2])

Quorum hi et in eius, *qui Cretica conscripsit* (cf. Hyg. Astr. II 5) et in Pausaniae de Bacchi Cretici templo Argivo (II 23, 8) testimonio nitebantur, infirmo illi quidem fundamento, si ratione supra disputavimus. Porro Volkmannus[3]) magni momenti esse censet, quod locus, ubi Ariadna deserta fertur, apud poetas ferme semper Dia vocatur.[4]) Sed antiquius insulae Naxi nomen *Dia* non in sola fabula Ariadnaea constat (cf. Diod. V 50).

[1]) Brit. Mus. n. 811. * Gerhard, *Trinksch. u. Gef. t. H.* Mon. dell' Inst. V t. 49. Qui in hoc vase Baccho et Ariadnae appositus est, Comus satyr in vase Parisino (cf. p. 49 adnot. 3, 1) Baccho sedenti se applicat inter Tragoediam et Ariadnam. Sed cum neque hic neque in ceteris vasis (ibid. 2, 3) Ariadnam (Ariagnam) heroida fabula notam sed Maenada vel Nympham aliquam agnoverim, cur Comum illum Bacchi et Ariadnae filium putem, non habeo.

[2]) Cf. Bursian, *Geogr. v. Griechenl. II p. 560*, Preller, Arch. Zeit. 1855, p. 11, Kanter, *de Ariadne p. 6* [5], alios.

[3]) *Analecta Thesea, Hal. Sax. 1881 p. 6.*

[4]) Apoll. Rh. IV 934, Quint. Sm. IV 389, Catull. 64, 121, Ovid. met. VIII 174, ars am. I 527, alibi.



Alia, quae parvae insulae Creticae patronis opponi possint, cum graviora restent, omitto. Neque hoc nunc quaeram, utrum in insula Naxo an in alia regione Bacchus et Ariadna primum convenerint.[1]) Sed omnes et scriptores et poetas, qui inde a Pherecyde vulgarem fabulam Ariadnaeam narrabant, etsi nomen *Diam* praeferebant, de nullo alio loco nisi de Naxo cogitasse pro certo habeo.

Haec enim insula, ut primaria Bacchi sedes atque deliciae, vino erat clarissima. (cf. Steph. B. s. v., Plin. N. H. V 67, al.) Vini autem cultus certissima indicia prae se ferunt cum artis monumenta, quae Bacchi Ariadnaeque coniugium exhibent, tum nomina filiorum, qui ex eo nati ferebantur.

Imprimis Oenopionem et Staphylum Ariadnae et Bacchi progeniem fuisse multi confirmant.[2]) Quamquam animadvertamus Oenopionis vetustioribus testimoniis nondum matrem Ariadnam sed Bacchum solum patrem nominari. Velut apud Hesiodum, qui Oenopionem Bacchi filium primus, quantum scimus, appellavit.[3]) Huius memoria in insula Chio vini cultu non minus Naxo clara haeret.[4]) Quo e Creta eum venisse scriptores Cretici, quos Diodorus V 79,1 adhibuit, fabulabantur;[5]) cf. Diodori verba *τὸν δὲ Ῥαδάμανθυν Ἐρυθρῷ μὲν ἑνὶ τῶν αὐτοῦ παίδων παραδοῦναι τὴν βασιλείαν τῶν δι' ἐκεῖνον Ἐρυθρῶν ὀνομασθεισῶν, Οἰνοπίωνι*

[1]) Dionysum *Πελάγιον* (cf. Boehlau, Bonn. Stud. p. 135) sciens procul habeo.

[2]) De Staphylo cf. Parthen. Erot. 1; idem in numero Argonautarum ap. Apd. I 9, 16, 9 (*Φᾶνος καὶ Στάφυλος Διονύσου*). Plut. Thes. XX (*ὧν τὴν μὲν* (*'Αριάδνην* sc.) *Διονύσῳ γαμηθῆναί φασιν ἐν Νάξῳ καὶ τοὺς περὶ Στάφυλον τεκεῖν*) cf. Apd. fragmm. Sabb. Mus. Rh. XLVI p. 183 *ἔνθα Διόνυσος ἐρασθεὶς 'Αριάδνης ἥρπασε καὶ κομίσας εἰς Λῆμνον ἐμίγη καὶ γεννᾷ Θόαντα, Στάφυλον, Οἰνοπίωνα καὶ Πάρηθον* (*Πεπάρηθον*? cf. Mus. Rhen. XLVI p. 392), schol. Apoll. Rhod. III 997 v. supra p. 19 adn. 1 (*Οἰνοπίων*, *Θόας*, *Στάφυλος*, *Λάτραμυς*, *Εὐάνθης*, *Ταυρόπολις*), Theoph. ad Autol. IX 7 v. s. p. 43 fin. (*Θόας*, *Εὔνεως*, *Μάρων*) cf. Osann. Mus. Rhen. III (1835) p. 241, de Thoante et Euneo Maass, Gött. Gel. Anz. 1889 p. 808 sqq.

[3]) Schol. Od. ι 198 *ἡ δὲ ἀπότασις πρὸς Ἡσίοδον λέγοντα τὸν Μάρωνα εἶναι Οἰνοπίωνος τοῦ Διονύσου.*

[4]) Schol. Arat. Phaen. 636. Athen. 26, b.

[5]) v. supra p. 43.

*δὲ τῷ Ἀριάδνης τῆς Μίνω Χίον ἐγχειρίσαι φασίν, ὃν ἔνιοι μυθολογοῦσι Διονύσου γενόμενον μαθεῖν παρὰ τοῦ πατρὸς τὰ περὶ τὴν οἰνοποιίαν. τῶν δ' ἄλλων τῶν περὶ αὐτὸν ἡγεμόνων ἑκάστῳ νῆσον ἢ πόλιν δωρήσασθαι λέγουσι τὸν Ῥαδάμανθυν, Θόαντι μὲν Λῆμνον, Ἐνυεῖ δὲ Σκῦρον,*[1] *Σταφύλῳ δὲ Πεπάρηθον, Εὐάνθει δὲ Μαρωνείαν, Ἀλκαίῳ δὲ Πάρον, Ἀνίωνι δὲ Δῆλον, Ἀνδρεῖ δὲ τὴν ἀπ' ἐκείνου κληθεῖσαν Ἄνδρον* (cf. V 84, 3). Apparet ex his verbis primum non inter omnes constitisse Oenopionem Bacchi esse filium. Chii enim ipsi Thesei et Ariadnae filium eum e Creta Chium venisse narrabant: cf. Plut. Thes. XX *ἔνιοι δὲ καὶ τεκεῖν ἐκ Θησέως Ἀριάδνην Οἰνοπίωνα καὶ Στάφυλον· ὧν καὶ ὁ Χῖος Ἴων ἐστὶ περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος λέγων* et Paus. VII 4, 8 ** *Ἴωνι δὲ τῷ ποιήσαντι τραγῳδίαν* e. q. s. Idem paulo infra haec tradit (VII 5, 13) *Χίοις δὲ ὁ τοῦ Οἰνοπίωνος τάφος θέαν τε παρέχεται καί τινας καὶ λόγους ἐς τοῦ Οἰνοπίωνος τὰ ἔργα.*[2] Unde nescio an iure colligamus, Oenopionem antiquitus fuisse heroa Chiorum proprium, ad quem vini cultum referrent, Bacchi autem filium tum demum eum esse habitum, cum ille praecipue vini cultum propagasse crederetur.[3]

Simili modo aliarum insularum heroes filii eius extiterunt. Cuius rei luculentissimum exemplum mihi videtur Maro, de quo audias Homerum in Od. ι 197 sqq.

> *. . . ὅν μοι ἔδωκε Μάρων, Εὐάνθεος υἱὸς,*
> *ἱρεὺς Ἀπόλλωνος ὃς Ἴσμαρον ἀμφιβεβήκειν,*
> *οὕνεκά μιν σὺν παιδὶ περισχόμεθ' ἠδὲ γυναικὶ*
> *ἁζόμενοι· ᾤκει γὰρ ἐν ἄλσεϊ δενδρήεντι*
> *Φοίβου Ἀπόλλωνος.*

et scholii verba (ad. v. 198 *ἱρεὺς Ἀπόλλωνος*) *ταῦτα σημειοῦνταί τινες πρὸς τὸ μὴ παραδιδόναι Ὅμηρον Διόνυσον οἴνου εὑρετὴν,*

---

[1]) Cf. Il. IX 668 et schol. Townl. (*Ἐνυεὺς*) *Διονύσου καὶ Ἀριάδνης, ὃς Κρῆτας ἀγαγὼν ἔκτισε τὴν πόλιν* (Scyrum). *οἱ δὲ ὁμωνύμους δύο Σκύρους φασιν.* Cf. Toepffer, *Att. Geneal. p. 201* et Maass. l. l. p. 810.

[2]) Cf. Erat. Cat. R. p. 162.

[3]) Nomen *Οἰνοπίδης* Chii haud raro invenitur: cf. Plut. plac. phil. II 12, 2 (Zeller, Philos. d. Griech. I[4] 393 adn. 2) et Inscr. Gr. ant. 381 c. 19.



*τὸν δὲ Μάρωνα οὐ Διονύσου, ἀλλ' Ἀπόλλωνος ἱερέα, δι' ὅλης τῆς ποιήσεως οἶνον μνημονεύων. ἡ δὲ ἀπότασις* e. q. s.

Apud Euripidem iam ipsius Bacchi filius audit. (cf. Cycl. 141 sqq.)

Quare fortasse haud ita longe a vero aberramus, cum Jonis Chii memoriam, qua Theseus Oenopionis pater nominatur, adeo non recenter fictam iudicamus, ut contra Theseum et ut Ariadnae coniugem et ut Oenopionis patrem Baccho cessisse putemus. Jam quod Marona Apollinis sacerdotem novimus, Theseum autem cum eodem deo arta necessitate coniunctum, conferre iuvat Anii Delii fabulam. Qui Apollinis filius atque sacerdos, vaticinandi artis peritissimus *γήμας Δωρίππην ἐγέννησε τὰς Οἰνοτρόπους, Οἰνὼ, Σπερμὼ, Ἐλαΐδα· αἷς ὁ Διόνυσος ἐχαρίσατο, ὁπότε βούλονται, σπέρμα λαβεῖν.*[1])

Jam quae de Bacchi Ariadnaeque connubio disputavimus, ea brevi comprehendamus. Primum certa eius testimonia ante saeculum quintum desunt, deinde communis Bacchi Ariadnaeque cultus vestigia nusquam nisi in insula Naxo apparent (de Athenis v. infra), tum Dionysus, qui cum illa coniugium iniit, vini deus habendus est,[2]) cuius auctoritati non solum insularum vino excellentium heroes sed ipse deus, cuius tutela nonnulli antiquitus fruebantur, Apollo inde ab Homeri temporibus cessisse videtur. Heroes autem illi, postquam Bacchi primum filii facti sunt, inde a quo tempore Bacchi et Ariadnae liberi sint habiti, nescimus. Quamquam antiquam hanc memoriam esse i. e. fabulam Ariadnaeam, in qua Bacchus partes agit, aetate antecedere, testimonia e mythographorum compendiis hausta fidem minime faciunt.

His perspectis Athenas Oschophoriorumque festum accedamus.

Athenis quotannis, cum sollemnia Anthesteriorum age-

---

[1]) Schol. vet. Lycophr. 570. Cf. Lycophr. Al. v. 569 sqq. Serv. ad Virg. Aen. III 80 (ex Euphorionis Anio?).

[2]) Apud Locros Opuntios vini cultum in tutela Ariadnae fuisse e nominibus *Οἰνόη* et *Οἰνεών* colligitur.

bantur, altero die festo, qui *Χόες* appellabatur, Baccho Basilinna vel Basilissa i. e. uxor regis sacrificuli mysticis sacris coniux dabatur.[1]) Unde si quicquam hoc sine dubio concludendum est, in religionibus Atheniensium antiquitus nullam Bacchi coniugem fabularem neque Ariadnam neque Proserpinam locum habuisse. Consentio enim cum Schoemanno de hac re (in antt. graec. [3] p. 498) sic disputante: *am wahrscheinlichsten, wenigstens am einfachsten ist die Annahme, dass die Basilissa als Repräsentantin des Landes dem Dionysos, dem Gott der jetzt wieder auflebenden Vegetation zugeführt worden sei, um dem Lande die Huld des Gottes recht fest zu sichern.*[2]) Ceterum cultum simplicem dubia fabula e compendiis accita non intelligi sed obscurari puto.[3])

Quae cum ita se habeant, cum Engelio (l. l. p. 56) statuo

[1]) Cf. Ps. Demosth. contr. Neaer. c. 76 p. 1371 et Aristot. de re publ. Ath. III 5 (edd. Kaibel et Wilamowitz) *ὁ μὲν βασιλεὺς εἶχε τὸ νῦν καλούμενον Βουκολεῖον, πλησίον τοῦ Πρυτανείου (σημεῖον δέ· ἔτι καὶ νῦν γὰρ τῆς τοῦ βασιλέως γυναικὸς ἡ σύμμειξις ἐνταῦθα γίνεται τῷ Διονύσῳ καὶ ὁ γάμος.)*

[2]) Cf. Preller, *Demeter und Persephone p. 390.*

[3]) Aliter Maassius (l. l. v. p. 32 adn. 4) iudicat. Qui cum Ariadnam sacris Bacchicis in Ceramico sociatam fuisse e Paus. I 3, 1 (*τὸ δὲ χωρίον ὁ Κεραμεικὸς τὸ μὲν ὄνομα ἔχει ἀπὸ ἥρωος Κεράμου, Διονύσου τε εἶναι καὶ Ἀριάδνης καὶ τούτου λεγομένου*) collegerit, ut alia eiusdem consortii vestigia detegat, *Vide*, inquit, *quam inter se similes sint ‚regina‘ archontis uxor, quotannis Baccho in Lenaeo nupta, et Ariadna sive rapta a Baccho sive eidem deo in matrimonium concessa: ‚reginae‘ videlicet Atheniensium Baccho debentur. Nec ortus est hic mos in Attica, sed extrinsecus perlatus et inter vetustissima cultus Bacchici elementa numerandus* et paulo infra *denique*, ait, *Bacchi cum Ariadna consortium publice Oschophoriorum die Athenienses ita celebrabant, ut a ‚Dionysio‘ in portum Phalericum oschophoros currere iuberent* (Plut. Th. 23). E testimoniis, quae vir doctissimus affert (Paus. II 11, 3, IV 16, 7, Serv. ad Aen. IV 127) apparet, variis locis Bacchum cum variis deabus vel heroidibus et eis quidem, ut videtur, indigenis fuisse coniunctum. Accedunt igitur haec ad ea argumenta, quae supra congessimus, ut certam Bacchi coniugem antiquissimis temporibus in fabulis non constitisse probaremus. Eo magis vereor, cum ritu Anthesteriorum fabulam Ariadnaeam commiscere. De filiis autem Bacchi Ariadnaeque supra iudicium tulimus ita, ut ad communis cultus vestigia demonstranda ea non sufficere censeamus. De Oschophoriis porro relego te ad ea, quae ipsi iam sumus disputaturi.



ne Oschophoriorum quidem sollemnia nuptias Bacchi et Ariadnae attinere. Sed quod vir doctissimus haec sacra a Proclo Dionyso et Minervae adscribi putat, aut quia Minerva tanquam dea tutelaris Athenarum ratione quadam ad hoc festum pertineat, aut quia pompa festiva a Dionyso ad Minervae *Σκιράδος* fanum sit ducta, vereor ne non viderit, Minervae in hoc festo, quod vindemia facta i. e. mense Pyanopsione fieri solebat, partes esse antiquissimas; nam cum agrorum arborumque cultu huius deae religiones initio arte cohaerent (v. Prell. Rob., *Gr. M. p. 206)*. Ac ne Ribbeckii[1]) quidem coniectura multum proficimus, qui e Procli verbis (*Θησεὺς*) *χαριστήρια ἀποδιδοὺς Ἀθηνᾷ καὶ Διονύσῳ, οἳ αὐτῷ κατὰ τὴν νῆσον τὴν Δίαν ἐπεφάνησαν* collegit, cultum Ariadnaeum Atheniensibus adeo non placuisse, ut ipsos deos, ne Ariadna Athenas veniret, prohibuisse fingerent. Nam quaerat quispiam, quid rei sit festo Oschophoriorum cum cultus Ariadnaei odio.

Proinde ut ipse periculum interpretandi faciam, cum festo Oschophoriorum antiquissimis temporibus religiones emorientis naturae coniunctas fuisse puto. In his Ariadna et Theseus eundem fortasse quem in cultu Gnosiaco locum habebant. Sed Bacchi auctoritate in dies crescente factum est, ut eis caerimoniis, quibus vitium olivarumque ubertatis gratiae deis referebantur, ceterae repellerentur. Nec tamen in oblivione iacebant, sed servabantur cum aliis rebus (cf. Plut. Thes. XXII sq.) tum carminibus Oschophoricis, quae a Theseo eiusque sociis patriae redditis primum cantata esse fabula ferebat (cf. Procl.).

Ariadna autem, quae quondam cum Theseo solo erat coniuncta, ut in insulis maris Aegaei ita Athenis Bacchi coniux haberi coepta est. Neque vero in cultu hoc honore fruebatur; id quod ex Anthesteriorum ritu apparet nec non e fabula, qua Naxi, ubi fortasse antiquitus una cum Baccho colebatur, a Theseo relicta esse narrabatur.

[2]) *Anfänge und Entwicklung des Dionysoskultes in Attika. (Schrift. d. Univ. Kiel. 1869) p. 6.*

Minervae igitur Bacchique interventus, qualem primus vasis Berolinensis auctor exhibuit, non tam vanitate Atheniensium virtuti Thesei consulentium quam religionibusOschophoricis natus est.

Plutarchi autem verba *φέρουσι δὲ (ὄσχους sc.) Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ*, quamquam contra ipsam festi vim certant, ea autem quae sequuntur *χαριζόμενοι διὰ τὸν μῦθον* ipsam illam Procli memoriam produnt, tamen vocem *Ἀριάδνῃ* non in *Ἀθηνᾷ* mutaverim, cum facile intelligatur, quomodo quis connubio Bacchi Ariadnaeque inde a saeculo quinto fabulis et monumentis artis et saltationibus mimicis (cf. Xenoph. conv. IX.) vulgato ad talem opinionem potuerit deferri.

Ex eadem radice nata videtur illa versuum Od. λ 321—325 recensio, quam e scholio Harleiano elicuimus.[1]) Genuinam enim iudico hanc

*κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς*
*γῆμε μὲν, οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα.*

Cuius loco recentiorem illam, qua Ariadnam dei cuiusdam auctoritate Baccho concessam vel ab eo ipso raptam esse narrabatur, fabulam nescio quis mutando et addendo, quantum licebat, posuit hoc modo

*κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς*
*ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων*
*ἦγε μὲν, οὐδ' ἐτέλεσσεν· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔσχε*
*Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ, Διονύσου μαρτυρίῃσιν.*

Dianam igitur munere Minervae vel Mercurii fungentem fecit; verbis autem *Διονύσου μαρτυρίῃσιν* significabat fortasse haec *mandatu Bacchi Ariadnam ipsius coniugem esse testantis.* Nec miramur interpolatorem, quod hac brevitate usus est.

Tertia autem, quam vulgo exhibent, huius loci recensio e duabus illis confusa est.

Neque vero in carminibus modo sed etiam in artis monumentis antiquissimam fabulam Homericam cum recentiore Attica

---

[1]) v. supra p. 18 sq.



commixtam invenimus; si modo ad mortem Ariadnae referendae sunt duorum speculorum Tuscorum imagines[1]) in quibus *Esia* adstantibus Minerva et Baccho a Diana aufertur.

---

## V.

Eadem aetate, qua primum vasa Ariadnae raptae vel destitutae imagine, celeberrima Euphronii patera fabula Thesei in mare ad Amphitriten demersi ornata est[2]). Eandem haud multo post Mico in Thesei delubro depinxit (Paus. I 17, 3): cuius imaginem craterae Bononiensis (v. p. 48 adn. 4) auctorem expressisse verisimile visum est Furtwaenglero et Roberto[3]). Atque in his vasis Theseum coronam — quae quidem in patera Euphronii, nimirum quod aurea erat, evanuit — ab Amphitrite accepturum conspicimus.

Pausanias autem de Miconis pictura haec profert *τοῦ δὲ τρίτου τῶν τοίχων ἡ γραφὴ μὴ πυθομένοις ἃ λέγουσιν οὐ σαφής ἐστιν, τὰ μέν που διὰ τὸν χρόνον, τὰ δὲ Μίκων οὐ τὸν πάντα ἔγραψε λόγον. Μίνως ἡνίκα Θησέα καὶ τὸν ἄλλον στόλον τῶν παίδων ἦγεν ἐς Κρήτην, ἐρασθεὶς Περιβοίας, ὥς οἱ Θησεὺς μάλιστα ἠναντιοῦτο, καὶ ἄλλα ὑπὸ ὀργῆς ἀπέρριψεν ἐς αὐτὸν καὶ παῖδα οὐκ ἔφη Ποσειδῶνος εἶναι, ἐπεὶ οὐ δύνασθαι τὴν σφραγῖδα, ἣν αὐτὸς φέρων ἔτυχεν, ἀφέντι ἐς θάλασσαν ἀνασῶσαί οἱ. Μίνως μὲν λέγεται ταῦτα εἰπὼν ἀφεῖναι τὴν σφραγῖδα· Θησέα δὲ σφραγῖδά τε ἐκείνην ἔχοντα καὶ στέφανον χρυσοῦν, Ἀμφιτρίτης δῶρον, ἀνελθεῖν λέγουσιν ἐκ τῆς θαλάσσης.*

Qui quid verbis *τὰ δὲ Μίκων οὐ τὸν πάντα ἔγραψε λόγον* voluerit, facile ita explicatur, ut adhibita Roberti coniectura Miconem nil praeter ea quae vasorum auctores exhibuisse,

---

[1]) Gerhard, *Spiegel I tab. 87 et IV tab. 305.* v. Deeke ap. Roscher, Mythol. Wörterb. s. v. Ariadna.

[2]) Cf. Klein, *Euphronios p. 182;* Wien. Vorlgbl. V 1.

[3]) Cf. Archaeol. Jahrb. IV (Arch. Anz.) p. 142 sq.

Pausaniam autem, ut imaginem interpretaretur, τὸν πάντα λόγον ex auctore mythographo adscripsisse statuamus. Accedit quod eadem fere Hyginus (Poet. Astr. II 5) narrat ex Istri Atticis, ut videtur, vel quod Robertus ex insequente fabula conclusit, ex Hegesiannactis Phaenomenis desumpta [1].

Qui de corona — nam cetera, quibus differt, minoris momenti sunt — haec tradit *a quibus (i. e. Nereidibus) annulum et a Thetide coronam, quam nuptiis a Venere muneri acceperat, retulit, compluribus lucentem gemmis. Alii autem a Neptuni uxore accepisse dicunt. Coronam Ariadnae Theseus dono dicitur dedisse, cum ei propter virtutem et animi magnitudinem uxor esset concessa: hanc autem post Ariadnes mortem Liberum inter sidera collocasse.*

In his igitur simpliciori fabulae formae, qualis apud Pausaniam extat, nonnulla adsuta sunt, quae unde ad Hyginum pervenerint, postea videamus. Verum etiamsi simplicior est Pausaniae narratio quam Hyginiana, tamen et ipsa composita videtur. Primo enim obtutu corona, quae annulo recuperato ad controversiam diiudicandam nihil iam valeat, superflua videtur. Sed ubi rem animo perpenderimus, non iam superfluam sed ex antiquiore fabula, qua non annulus sed corona sola a Theseo in lucem relata esse narrabatur, eam residuam indicabimus. Itaque quaeritur, num Thesei Minoisque rixa annulique recuperatio, a Pausania ad Miconis picturam intelligendam accita, pictorum illorum, qui solam coronam exhibent, temporibus iam fuerit vulgata.

Atque Robertus suspicatus est, quae de annulo Pausanias narrat, inventa ea esse ab Euripide ad Thesei fabulae argumentum amplificandum. Cohaeret haec sententia cum fabulae imagine, quam vir doctissimus sibi finxit (v. supra p. 45 adn. 1). Sed cum Euripidem vulgari fabula Ariadnaea non usum esse vix credibile iam supra significaverimus, quibus rationibus remota sit, nunc est videndum.

[1]) Cf. Erat. cat. Rob. pp. 230 et 221 et Wellmann. l. l. p. 94, qui Pausaniae memoriam Istro probabiliter tribuit.



Primus enim Leo [1]) professus est dubium se haerere an possit ad Minoem cum Theseo in Euripidis fabula altercantem (cf. fr. 383 N. [2]) referri, quod in Thesei templo Mico repraesentaverit. Deinde ter optandi potestate Theseo a Neptuno concessa [2]), qua usum primum e labyrintho exiisse, alterum ex inferis rediisse, tertium filium Hippolytum perdidisse scholiasta contendit (v. scholl. ad vss. ll.), Robertus fabulas Theseum et Hippolytum priorem (i. e. velatum) ita conexas fuisse coniecit, ut in illa Theseus e labyrintho, in hac autem ex inferis Neptuni dono se expediret filiumque perniciei daret. Tum Wilamowitzius [3]) fabulas Aegei, Thesei, Hippolyti velati et illa re et culpa, qua Aegei gens laboraret, ab Euripide contextas fuisse statuit [4]).

Hoc vinculum ut verum sit fabulas illas coniunxisse [5]), in Hippolyto coronifero solutum est. Nam si re vera iam bis optandi facultate Theseus usus erat, ita ut quae optanda restarent, non iam irrita fieri possent, cur neque in verbis vss. 44 sqq. aut vss. 887 sqq. neque post mortem Hippolyti mentio huius rei iniecta est? Verba illa igitur nil nisi fragmina putanda sunt e priore conexu in eum, quem legimus, translata.

Sed cur poeta, quod inter Theseum et Hippolytum I antea nexuerat, vinculum, in Hippolyto coronifero divellerit, eis, quibus, ut eandem rem iterum tractaret, commotus esse dicitur, rationibus (cf. Kalkmann. l. l.) [6]) explicari nequit. Neque, si in-

[1]) Senec. tragg. I p. 180 adn. 25.

[2]) Cf. Hippol. vss. 44 sqq. 887 sqq. 1349 sqq.

[3]) in Hermae vol. XV p. 483; cf. eiusdem auctoris *Analecta Euripidea p. 174.*

[4]) Cf. Wilamowitz, *Euripides Hippolytos p. 46 adn. 1.*

[5]) Thesei enim ex inferis reditus, qui a Seneca in Phaedra (v. 91—98) commemoratur, num Hippolyto velato tribuendus sit (cf. Wilam., *Anal. Eurip. p. 209,* Leo l. l., Kalkmann, *De Hippolytis Euripideis. Bonnae 1882 p. 24),* dubito, quoniam Wagnerus *(cur. myth. p. 142 sqq.)* eis, quae in Apollodori epit. Vat. III 2, 3 de Phaedrae amore et Hippolyti morte extant, argumentum Hippolyti velati contineri demonstravit (cf. Mus. Rhen. XLVI p. 394 sq.).

[6]) Cf. Wilamowitz, *Euripides Hippolytos p. 46 sq.*

telligi posset, causam videremus, cur ter optandi potestatem Theseo servaret[1]), cum Neptunum precibus filii sponte obsequentem facere posset.

Antiquissimum autem illud inventum, quod Wilamowitzius vernacula voce *Märchenmotiv* apte significavit, non Euripides primus cum fabula Hippolytea vel Thesea conexuisse sed cum hac dudum coniunctum vel e populi ore vel e carminibus vetustioribus sibi vindicasse videtur.

Itaque aut conexum, quo in fonte singulae fabulae Theseae partes cohaerebant, non curavit; id quod multo libentius mihi persuaserim, quam artificium olim ingeniose inventum postea ab eo esse missum, sed ita, ut in Hippolyto coronifero reliquiae plane supervacaneae restarent; aut quae scholiasta affert, ingenio grammatici cuiusdam debentur ac ne in fonte quidem inventum illud ratione ac via erat expeditum; immo *ter* optandi facultate nil nisi *optandi facultas* in universum accipienda significabatur.

Proinde si non in singulis, de quibus disputare longum est, at certe in summa cum Welckero et Jahnio faciamus, in amore Ariadnae fabulam Theseum versatam esse rati.[2])

Quocum argumento, quomodo Pausaniae narrationem conciliem, non habeo; primum enim causa, qua rixa oritur, non apta videtur;[3]) deinde si causam mittimus, altercationis finem quem tibi in scena factum fingis?

Ab Euripide, ne in fabulae fonte requirendo ad recentiora

[1]) Non negligentia hoc factum est. Nam quae nunc legimus v. 887 sqq.

*ἀλλ' ὦ πάτερ Πόσειδον, ἃς ἐμοί ποτε*
*ἀρὰς ὑπέσχου τρεῖς, μιᾷ κατέργασαι*
*τούτων ἐμὸν παῖδ', ἡμέραν δὲ μὴ φύγοι*

e. q. s. in Hippolyto velato, ubi tertium Theseus patris fidem periclitatus est, vix locum habebant. Consulto igitur mutavit poeta.

[2]) Fortasse huc spectant praeter Phaedrae verba in Hipp. vs. 339 Ov. epist. IV 55 sqq., Hygini verba (f. CCLV quae impiae fuerunt) *Ariadne Minois filia fratrem et filios (?) occidit*, ectypon sarcophagi a Mayero, Arch. Zeitg. 1884 p. 273 editum.

[3]) Probabiliora statuit Jahn. l. l. p. 253.



tempora progrediamur, monet ipsum argumentum. Nam quod Theseus recusat, ne Minoi Periboeam tradat, vetustiorem huius mulieris cum heroe illo coniunctionem prodit, cuius alia quoque restant vestigia. In catalogo enim mulierum Thesei Plutarchus (Thes. XXIX) haec tradit *γῆμαι δὲ καὶ Περίβοιαν τὴν Αἴαντος μητέρα*, Athenaeus autem *νομίμως δ' αὐτὸν γῆμαι Μελίβοιαν τὴν Αἴαντος μητέρα*. Quibus nominibus sine dubio eadem mulier significatur, quae apud Pind. Isthm. V 65, Soph. Ai. 569, Diod. 4, 72, all. Eriboea audit. Memineris praeterea Aeglen a Theseo Ariadnae praelatam, cum audias Statium (Silv. III 5, 48 sq.) sic loquentem

*Questa est Aegiale, questa est Meliboea relinqui,*
*Et quam *quam saevi fecerunt maenada planctus (i. e. Ariadnam).*

Apparet has mulieres easdem esse, quarum nomina Ister[1]) in catalogo protulit (Aegle-Aegiale, Meliboea-Periboea). Iam Periboea in vase Clitiae inter obsides conspicitur, atque consentit Paus. I 42, 2 his verbis *δηλοῖ τέ μοι καὶ τόδε ὡς συνετέλουν ἐς Ἀθηναίους Μεγαρεῖς· φαίνεται γὰρ τὴν θυγατέρα Ἀλκάθους Περίβοιαν ἅμα Θησεῖ πέμψαι κατὰ τὸν δασμὸν ἐς Κρήτην* (cf. I 42, 4 *Τελαμὼν ὁ Αἰακοῦ θυγατρὶ Ἀλκάθου Περιβοίᾳ συνῴκησεν*).

Deinde fabula ea ipsa de causa, quod apud Pausaniam solum et Hyginum extat, inter remotiores habenda est. Pausanias enim, ubi in enarrandis fabulis Atticis a trita via ad reconditiora loca deflectit, Alexandrinorum poetarum vestigia premit, velut II 22, 7 (de Iphigenia) *καὶ ἐπὶ τῷδε Εὐφορίων Χαλκιδεὺς*[2]) *καὶ Πλευρώνιος Ἀλέξανδρος ἔπη ποιήσαντες, πρότερον δὲ ἔτι Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος, κατὰ ταὐτά φασιν Ἀργείοις Θησέως εἶναι θυγατέρα Ἰφιγένειαν*[3]) et X 26, 7 *Εὐφορίων δὲ ἀνὴρ Χαλκιδεὺς σὺν οὐδενὶ εἰκότι τὰ ἐς τὴν Λαοδίκην ἐποίησεν.*

[1]) E quo ut Plutarchum et Athenaeum ita Statium hausisse coniecit Knaakius in Herm. vol. XXV p. 82 sqq. (Analecta XVII).

[2]) Cuius carmen *Μοψοπία ἢ Ἄτακτα* inscriptum varias continebat historias ex Atticarum fabularum cyclo petitas (cf. Meineke, *Ann. All. p. 12)*.

[3]) Cf. Euph. fr. 61 (Meineke l. l. p. 103), Wilamowitz in Herm. vol. XVIII 240 sqq. Euphorio Lycophronem sequi videtur. Cf. Schultze, *Euphorionea (Argentorati 1888) p. 15.*

Atque Laodices filius Munitus tradebatur (cf. Tzetz. ad Lyc. 494). De quo Euphorio cum eadem retulerit (fr. 55 M.) quae Lycophro (v. 498 sqq. cf. Schultze p. 11), ne in fine quidem Laodices enarrando ab hoc, qui in vss. 316 sqq. Laodicen spectare videtur,[1]) discessit. Atqui sicut Pausaniae ita Plutarchi (Thes. XXXIV in.) auctor i. e. Ister fabulam Laodices respuit; cf. Plutarchi verba *οἱ δὲ καὶ τοῦτο τὸ ἔπος διαβάλλουσι καὶ τὴν περὶ Μουνίτου* (cod. *Μουνύχου*) *μυθολογίαν, ὃν ἐκ Δημοφῶντος Λαοδίκης κρύφα τεκούσης ἐν Ἰλίῳ συνεκθρέψαι τὴν Αἴθραν λέγουσιν· Ἴδιον δέ τινα . . λόγον ὁ Ἴστρος ἐν τῇ τρισκαιδεκάτῃ τῶν Ἀττικῶν ἀναφέρει* et quae de eis Wellmannus (l. l.) disputavit.

Hygini autem narratio cum aut ad Istrum redeat aut ad Hegesianactem[2]), qui cum Euphorione in aula Antiochi magni degebat (cf. Rob. l. l.), nonne verisimile videtur, fabulam Pausaniacam aut Lycophroni aut Euphorioni — ab Istro nimirum exscriptis[3]) — deberi? Cuius initium *Μίνως ἡνίκα Θησέα καὶ τὸν ἄλλον στόλον τῶν παίδων ἦγεν ἐς Κρήτην* congruit cum eis, quae de Thesei profectione Hellanicum narrasse Plutarchus tradit (Thes. XVII); Hellanici autem memoria non semel Lycophroni placuit.[4])

Sed ne luxuriemus divinando, ab auctoribus fabulae atque aetate ad consilium transeamus. Quod ut appareat, ab Hygino, qui fabulae Pausaniacae catasterismum coronae Ariadnaeae adnectit, proficiscendum est.

Atque narrationum, quae de corona Ariadnae ferebantur, nulla Alexandrinorum aetatem, quantum videmus, antecedit. Nihilosetius aliquid lucri inde nobis futurum esse spero. Itaque singulas consideremus.

Hyginus ipse, cum post Ariadnae mortem coronam a Libero inter sidera collocatam esse narraret, Arati memoriam expressit, quam novimus vss. 71 sq.

---

[1]) In scholl. vett. diversa commixta sunt.

[2]) De fabulis Atticis ap. Hegesian. v. Rob. l. l. p. 222.

[3]) De Lycophronis memoria ap. Istrum v. schol. Lyc. v. 467.

[4]) Cf. vss. 29; 33 (coll. 476—88); 467; 827 c. scholl.



*αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκεν*
*σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης*

quocum consentiunt praeterea Nonnus (Dion. 48, 971 sqq.)

*οὐδὲ Κυδωναίων ἐπελήσατο Βάκχος ἐρώτων,*
*ἀλλὰ καὶ ὀλλυμένης προτέρης ἐμνήσατο νύμφης*
*καὶ στέφανον περίκυκλον ἀποιχομένης Ἀριάδνης*
*μάρτυν ἑῆς φιλότητος ἀνεστήριξεν Ὀλύμπῳ*
*ἄγγελον οὐ λήγοντα φιλοστεφάνων ὑμεναίων*[1])

et Diodorus in fine narrationis e compendio haustae (IV 61, 5) haec addens *μετὰ γοῦν τὴν τελευτὴν αὐτῆς* (*Διόνυσον* sc.) *διὰ τὴν φιλοστοργίαν ἀθανάτων καταξιῶσαι τιμῶν, καταστερίσαντα τὸν ἐν οὐρανῷ στέφανον Ἀριάδνης.*

Ex his nil comperimus nisi sideris *corona Ariadnae* appellati Bacchum esse auctorem. Sed quaenam sit haec corona nescitur[2]), nisi eadem ratione, quam cum de lyra Thesei disputaremus supra adhibuimus, colligi licet homines astrologos sidus, quod antiquitus corona audiebat, coronam Ariadnae non fuisse appellaturos, nisi apud eos symboli Ariadnae proprii memoria etiamtum viguisset.

Aratus, cum post mortem Ariadnae coronam inter sidera relatam esse dicit, ad Homericam fabulam signum revocare videtur. Hesiodeam autem Eratosthenes spectat. Nam quae in epitoma catasterismorum leguntur (V *στέφανος* p. 66)[3]) *οὗτος λέγεται ὁ τῆς Ἀριάδνης· Διόνυσος δὲ αὐτὸν εἰς τὰ ἄστρα ἔθηκεν. ᾧ πρώτῳ ἡ νύμφη ἐστεφανώσατο παρὰ Ὡρῶν λαβοῦσα καὶ Ἀφροδίτης, ὅτε τοὺς γάμους οἱ θεοὶ ἐν τῇ καλουμένῃ Δίῃ ἐποίησαν,*

---

[1]) Cf. Dion. 8, 28; 25, 147; 33, 373; 47, 51. vss. 47, 700 sqq. non tam coronae quam ipsius Ariadnae catasterismum spectare videntur. cf. Senec. Phaedr. v. 663 sq. et Oedip. v. 497.

[2]) Schol. Ar. v. 71 fabulatur *τὸν κίσσινον στέφανον, ὃν ἐφόρει ὁ Διόνυσος μετὰ θάνατον Ἀριάδνης ἰσχυροπαθῶν ἀπέθετο καὶ κατηστέρισε μνημόσυνον τῆς ἐπ' Ἀριάδνῃ συμφορᾶς.*

[3]) De Erathosth. cf. Robert. p. 31 sqq., Maass, *Anal. Erat.* Philol. Unters. VI, J. Boehme, Mus. Rhen. XLII p. 286 sqq. Eadem extant in schol. Arat. v. 71. p. 58, 39, in quo verba *ἐπὶ μνήμῃ τῆς Διονύσου φιλίας τῆς εἰς αὐτὴν* Arati memoriae se applicant. cf. schol. Germ. B. P. p. 61, 17,

ea ita accipienda esse videntur, ut Ariadnam immortalem Bacchi coniugem factam esse putemus.[1]) Quae cum coronam a Venere accipiat — sicut apud Hyginum Thetis illam, quam Theseo dat — haud scio an pristina eius domina significetur. Nam Venerem in locum Ariadnae velut Cypri et Deli cessisse, iam supra verisimile nobis visum est. Quae si poni licet, Hygini memoriam *(coronam Ariadnae Theseus dono dicitur dedisse e. q. s.)*, quae eo consilio facta videtur, ut fabulam modo narratam cum relatione Aratea coniungeret, plane invertamus in antiquissima aliqua fabula Theseum ab Ariadna ipsa coronam accepisse rati.

Idem Robertus statuit atque is quidem e testimonio eius, *qui Cretica conscripsit*, profectus. Sed causis, quas supra exposui, moveor, ne nimiam fiduciam huic tribuam. Accedit, quod narrationem Creticam, quae in epitoma nunc deest, olim excipiebant haec *Ἡφαίστου δὲ ἔργον εἶναί φασιν ἐκ χρυσοῦ πυρώδους καὶ λίθων Ἰνδικῶν. ἱστορεῖται δὲ καὶ διὰ τούτου τὸν Θησέα σεσῶσθαι ἐκ λαβυρίνθου, φέγγος ποιοῦντος* (cf. Hyg. et schol.

Hyg. Astr. II 5, Ovid. fast. III 513 sqq. Fortasse apud auctores scholii Od. λ 322 cohaerebant haec

| | |
|---|---|
| *καὶ αὐτῷ ἡ Ἀθηνᾶ παραστᾶσα κελεύει . . . . συντόμως δὲ διαναστὰς ποιεῖ τοῦτο.* | *κατολοφυρομένης δὲ τῆς Ἀριάδνης ἡ Ἀφροδίτη . . . παραινεῖ. Διονύσου γὰρ ἔσεσθαι γυναῖκα καὶ εὐκλεῆ γενέσθαι.* |
| * * * | * * * |
| *ὅθεν ὁ θεὸς ἐπιφανεὶς μίσγεται αὐτῇ* cf. supra p. 34. | *καὶ δωρεῖται στέφανον αὐτῇ χρυσοῦν, ὃν αὖθις οἱ θεοὶ κατηστέρισαν τῇ τοῦ Διονύσου χάριτι·* |

commixtas iam has diversas relationes legit Eust. Od. λ 324 (1688, 48); quocum consentit Serv. ad Virg. Georg. I 222; sed is diserte nos ad memoriam Eratosthenicam relegat, nisi quod coronam non a Venere ipsa sed a Vulcano Ariadnae datam esse dicit verbis *quam cum Liber pater adamasset, coronam ei dempto pudore, sicut supra dictum est, dicitur obtulisse, quam etiam inter sidera postea collocavit.*

[2]) Ceterum poetae Romani Ariadnam, cum eandem quam Liberam intelligerent, immortalem esse dicere solebant (Ov. fast. III 510, Prop. el. III 15; cf. Hyg. f. CCXIX, Nonn. 47, 446 sq.



Germ. ll. ll.). Quae sive ad eundem rerum Creticarum scriptorem referenda sunt sive ad alium quem, quod lapidibus Indicis corona exornata erat, posterioribus temporibus excogitata videntur[1]), cum post Alexandrum Bacchus in Indiam profectus fingeretur (cf. Engel, *Qu. N. p. 61*). Quamquam non nego huic quoque fabulae antiquam memoriam subesse.

In illa enim, unde profecti sumus, fabula Minos dubitat, an non Theseus revera Neptuni filius sit. Nonne mirum est, quod bis Theseo vel a Neptuno vel ab Aegeo se natum esse signis perspicuis est probandum? Rursus ubi res a Theseo sive in Creta, sive in Peloponneso gestas animo perlustraveris, vix te effugiet, nullo in periculo auxilio eius, cuius filius fertur (Paus. I 33,1) eum esse adiutum (cf. praet. Paus. I 14, 3). Quin etiam cum in eo est, ut in Cretam proficiscatur, Neptuni filius gubernatorem Nausithoum et proretam Phaeacem a Sciro Salaminio accipit *μηδέπω τότε τῶν Ἀθηναίων προςεχόντων τῇ θαλάττῃ* (Philoch. ap. Plut. Thes. XVII).

Jam velim memineris, quam arte Thesei facinora cum Apollinis religionibus cohaereant quamque similis sit ipse Apollini — apparet tempus fuisse, quo neque mare neque quae id spectant in fabulis Theseis locum haberent. Neque dubium est, quo consilio, cum Athenienses rerum nauticarum non iam ignari essent sed peritissimi, scriptores vel poetae fabulas genuinas immutaverint.

Sequitur, ut coronam Ariadnae, quae species quaedam est Proserpinae (v. s. p. 3), antiquitus, ut videtur, propriam a Theseo in genuina fabula non e mari sed ex inferis ad lucem latam esse, in recentiore autem annulo e mari sublato cessisse coniciamus.[2])

[1]) Ab hominibus astronomiae nimirum studiosis, ut stellarum splendorem explicarent.

[2]) Hercules ex inferis coronam de populi fronde factam aufert. Ac ne Thesei quidem corona antiquitus aurea fuisse videtur; cf. Athen. XV p. 684 sqq. *Τιμαχίδας δ᾽ ἐν τετάρτῳ Δείπνου καὶ Θήσειόν τι ἀναγράφει καλούμενον ἄνθος·*

Illa igitur fortasse eis obversata est, qui Theseum corona labyrinthi erroribus servatum esse fingerent.

---

*θήσειον θ' ἁπαλὸν μήλῳ ἐναλίγκιον ἄνθος*
*Λευκερέης*) ἱερὸν περικάλλεος, ὅν ῥα μάλιστα*
*φίλατο* (*) *Λευκοθέης Cas, vix recte* Kaibel)

*ἀπὸ τούτου δέ φησι τοῦ ἄνθους καὶ τὸν τῆς Ἀριάδνης καλούμενον στέφανον πεπλέχθαι*; cf. Hes. s. v. *Θησεῖον . . . δηλοῖ τε καὶ φυτόν τι ποιόν* = Et. M. s. v. *Θήσειον*; Theophrast. h. pl. VII 12, 3, Plin. N. H. XXI 107, XXII 66.

## Index capitum.



## SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Fabulae, quae de rebus a Theseo in Isthmo Corinthio gestis ferebantur, non ab Atheniensibus, ut vulgo putatur, ad Herculis exemplum fictae sed ex antiquissimo Thesei cultu natae et propagatae sunt.
2. Trozene, ex oppido Argolico, Theseus Athenas migrasse traditur: immo Trozene, ex oppido ad sinum Pagasaeum quondam sito, religiones Theseae in Atticam pervenerunt.
3. In schol. Lycophr. Alex. v. 527 *δυσμενῶν δὲ μοχλόν] ἀντὶ τοῦ ἀσφάλειαν ἀπὸ τῶν δύο μερῶν τὸν Ἕκτορα ἔχοντα* scribendum est *ἀπὸ τῶν δυσμενῶν*.
4. Euripidis Troadum vss. 638—640 (Nauck) spurios iudico.
5. In eiusdem Ionis vs. 206 loco traditi verbi *τείχεσι* requiro *τυκίσμασι* (cf. Hercul. v. 1096, Andromed. frg. 125 N.², Lycophr. Alex. v. 349).
6. Apud Pausaniam I 39, 6 restituendum est *τοῦ Πύλα δὲ θυγατρὶ συνοικῆσαι Πανδίονα* (codd.: *τοῦ Πύλα δὲ σκίρον συνοικῆσαι [τῇ] Πανδίονος θυγατρί*).
7. Propert. eleg. II 9 vss. 13 sq., quos ante v. 11 Vahlenus transposuit (v. Monatsber. der Kgl. Akad. d. Wissenschaft z. Berlin 1881 p. 355 sqq.), suo loco traditos esse censeo.
8. Imaginum, quibus templum, quod Erechtheum vocatur, olim ornatum erat, fragmenta componenda et intelligenda sunt ad exemplum earum, quae in parte orientali templi Minervae victrici dedicati etiamnunc extant.

# VITA.

Natus sum Ludovicus Pallat Aquis Mattiacis III. die mensis Decembris a. 1867 patre Carolo, matre Elisabeth e gente Karsch, quam mihi puero morte ereptam esse valde doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis instructus inde a vere a. 1877 gymnasium urbis patriae frequentavi. Vere a. 1886, postquam maturitatis examen sustinui, Monacum migravi, ubi ab Henrico Brunn civibus academicis adscriptus duo semestria studiis imprimis archaeologicis, unum stipendia merendo consumpsi. Tum per quater sex menses Lipsiae, denique Berolini in studia incubui. Operam dedi inde ab autumno a. 1887 imprimis studiis philologicis, praeterea archaeologicis, historicis, Germanicis. Docuerunt me Monaci viri doctissimi Brunn, Carrière, Christ, Grauert, Prantl, Riehl, Schoell, Sittl, Woelfflin, Lipsiae Lipsius, Overbeck, Ribbeck, Richter, Schreiber, Springer, Voigt, Wachsmuth, Wundt, Berolini Diels, Graef, Hirschfeld, Kekulé, Puchstein, Robert, Toepffer, Vahlen, Weinhold. In seminarium philologicum Lipsiense Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth, in seminarium archaeologicum Overbeck benigne me receperunt. Illius per duo semestria eram sodalis ordinarius, huius per quattuor, per duo senior. Exercitationibus praeterea philologicis comiter me admiserunt Christ, Woelfflin, Lipsius, Ribbeck, Diels, archaeologicis Brunn, Curtius, Erman, Furtwaengler, Kekulé, Robert, Schreiber, Germanicis Weinhold.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.